APOLOGIA

ALBERTI PIGHII CAM-
penſis aduerſus Martini Buceri ca-
lumnias, quas & ſolidis argu-
mentis, & clariſſimis ra-
tionibus con-
futat.

Pertinet ad Bibliothecam S. Franc. Transtiberim

BIBLIOTECA

MOGVNTIAE,
Anno M. D. XLIII. Menſe Martio.

VITA PRAECLARISSIMI VIRI D. ALBERTI PIGHIJ Campenſis, Præpoſiti quondam eccleſiæ Diui IOANNIS Traiectẽ. per Ioannem Guntherum obiter excerpta.

NIHIL eſt quod opus aliquod æque cõmendat, ac ipſa dignitas autoris. Tum vero præclare agitur, vbi & ſcriptoris autoritas opus ſuum illuſtrat, & operis gratia celebritatẽ ſcriptoris viciſſim oſtentat. Cum igitur præſentis operis ratio per ſe manifeſto præcellat, autoris quoq; gloriam breuiter indicare viſum eſt. Nihil eñ pro illius amplitudine ſatis explicari poſſe iudicauimus. Age nũc vel pauca nobis explorata perſtringamus. Albertus ille Pighius ex inferioris Alemaniæ Campenſi ciuitate duxit originem, qui ipſe ſibi ſtudio, ingenio, exercitatione, fide, conſtantia ſimul & autoritate maximam gloriam comparauit, vt per virtutis, ſapientię & doctrinæ gradus ex humili loco ad magnũ honoris faſtigium peruaſerit. Porro per ætatum gra-

dus ad ſummam perfectamq; ſapientiam virilem animum ſemper intendit: & maximarum rerum ſtudia perpetuo quam diligentiſſime conſectatus eſt. Idem is tantum aſſidua cura & præcipua ingenij felicitate profecit, vt iam inde ab adoleſcentia inter Philoſophiæ ac ingenuarum artium eruditos (Louanij potiſſimum) excellere putaretur. Quanto ſpinoſius quodq; eſſe, ac plus habere difficultatis intelligebat, eo cupidius in hoc, ſtudioſiuſque incumbebat, præcipue, poſteaquam Theologiæ ſtudio ſe totum ſanctiſſime tradidiſſet. Vbiq; ſociam habuit mentem ad res altiſſimas conſiderandas: vt ingenij ſubtilitate & iudicij dexteritate (quod eiuſdem viri ſcripta produnt) vix alibi parem inuenias. Nullum omnino doctrinæ genus eſt, in quo non ſit Pighius exquiſite verſatus: homo multæ quidem ac infinitæ lectionis, vt qui ætatem omnem in æqui boniq; cognitione contriuit, qui literarum quoq; certaminibus inter ipſos milites vel exercitatiſſimos excelluit: Hiſtoriographus fide digniſſimus, acutiſſimus Philoſophus, Rhetor vehementiſſimus, præcipuus Medic9, & noſtri temporis Theologorum nulli ſecundus. Nusq̃ tamen acrior inſurgit, quam vbi cum hæreticis (aduerſus quos perpetuum ac implacabile

cabile

cabile bellum inſtituerat) Hierarchiam eccleſiaſticam grauiſſime tutatus eſt. Præterea de controuerſijs in religione Chriſtiana vigentibus exacte diſſeruit, & id peregre in apparatu procinctuque viatico. Item de Libero hominis arbitrio materiam ſane abſtruſiſſimam luculenter decem libris abſoluit, Caluinum redarguens: ac omnium huius tēporis hæreſiarcharum fraudulentiā aperto Marte detegens, ac retundens. Nihil hoc viro ſapientius, nihil abſolutius, nihil conſtantius, nihil immobilius, nihil magnificentius, in his videlicet quæ ad iuſtitiam & fidei noſtræ cauſam aſſerendam, atque propugnandā pertinere videbātur. Nam huiuſmodi vindicabat pertinaciſſime, nec tacitis interim ſummorum virorum nominibus, flagrans iugiter zelo domus Dei, & Reipub. iuuandæ ſtudio, quoquo tandem modo alijs ſalutaria prouidere poſſet. Vix vllam temporis partem effluere ſibi patiebatur inanē. Quandoquidem ætatis omne tempus tam ſcite diſtribuere ſolitus eſt, vt vel contemplando, vel docendo, vel inueſtigando, vel diſceptando, vel ſcribendo, vel Reipublicæ ſeruiendo diſtineretur. Itaque propter ſuæ multijugæ doctrinę ac probitatis odorem longe lateque diffuſum, accitus eſt & ab Adria-

no Sexto Pont. Max. qui maximis doctiſſimiſque viris vt plurimum delectabatur ipſe doctiſſimus. Poſt Adrianum a Clemente VII. perquam huma niter excipi & in publicum inſuper adhiberi conci lium Romæ meruit. Alijs itidem præſtantiſſimis viris, multiſq; magnatibus & gratus & charus ad= modum fuit. In grauiſſimis publiciſq; negocijs fre quenter legationē obijt Romã, Vvormatiam, Ra= tiſponam, atq; id publica euocatus autoritate. Bre= uiter, egregijs humanæ vitæ laboribus pręclare diu defunctus eſt, quibus & immortalitatem nominis aſſecutus eſt. Tandem vir diligentiſſimus extrema valetudine affectus, vix adduci potuit expoſtulati= onibus amicorum, vt feruorem animi remittens, a ſcribendo ſuperſederet, ſaltem leuandæ valetudi= nis cauſa. Verum vbi ſeipſum vſq; adeo fractum longa valetudine, ſtudioq; plane exhauſtum ſenti= ret, vt amplius iam ſcribere vel conſulere poſteris non poſſet (etiamſi tum adhuc floreret illud im= mortalitate dignum ingenium, animiq; magnitu= dinem, qua præſtabat, nõ remitteret) deinceps pius ille Pighius ad ea, quæ verum et pium decent Chri ſtianum, exequenda & abſoluenda ſe totum appli= cauit. Hinc receptis omnibus iuxta ritum & con=

ſue=

ſuetudinem ſanctæ Romanæ & catholicæ eccleſiæ ſacramentis, tandem vbi necdum iuſtam exceſſiſſet ætatem, ad quartum Calendas Ianuarij, in ingreſſu anni redemptionis humanæ M. D. XLIII. ſed mira & incredibili quadam animi præſentia, ſpiritum emiſit, ac naturæ debitum perſoluit, idq; cum piorum & ſtudioſorum omnium luctu, vir ille perpetua profecto memoria & gloria vere digniſſimus. Vti bonos omnes quam plurimum amplectebatur ac obſeruabat, ita neruis omnibus eoſdem iuuare & eccleſiam Chriſti illuſtrare, quoad vixit, nunquam non aduigilabat: Nihil eorum prætermittens, quæ ad eccleſiam Chriſti reſtaurandam, et hæreticorum fraudulentiam detegendam conducere perſpiciebat. Hoc ita eſſe, viuens & moriens ipſemet Pighius euidentiſſimum fecit, egregijſque voluminibus abunde ſatis orbi Chriſtiano conteſtatum reliquit: imprimis vel hoc opere, quod ſicut ipſe extremum μνημόσυνον ſui reliquit, ita Lectoris humanitas propenſiore etiam fauore ſuſcipiet. Solent enim ſeri partus vel ob id eſſe gratiores, quod præterea nihil expectatur. Hunc igitur veluti poſthumum fœtum (ad retegendas hæreticorum calumnias & ad ſtabiliendos piorum animos) in gremium

mium eccleſiæ dare voluiſſet autor celeberrimus, & exacte reſpondiſſet ad ſingula, quæ nuper malæ fidei Marti. Bucerus aduerſus ipſum effutijt, ac ſuis etiam Symmiſtis forte perſuaſit de reſtauranda Chriſtianæ religionis concordia. Cæterum impetus morbi rabioſaque vis properatæ mortis Pighium adegerunt, vt abſolutum hoc opus relinquere poſteris non potuerit. Nam hic indefatigabilis eccleſiæ propugnator ac vindex præclaræ Bucero reſpondendi prouinciæ immortuus eſt. Quod ſi per valetudinem licuiſſet, incredibilia quædã, ſeipſum etiam ſuperando, vir acutiſſimus pręſtitiſſet in progreſſu: nec eſſet quicquam quo non abunde Buceri calumnijs quamlibet argutis iri ſatisfactum, vndequaq; nos perſpiceremus, quotquot ſyncere manemus Chriſtiani. Fruamur interim eo, quod nobis diuina pietas hic reliquum eſſe voluit. In quo tanquam cygnea excellentiſſimi hominis vox & extrema oratio plane videtur expreſſa. Traiecti, Anno M.D.XLIII.

ALBER.

ALBERTVS PIGHIVS CHRISTIANO LEctori veram a Chriſto pacem, concordiam, & ſalutem.

OPortet, inquit Apoſtolus, hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant inter vos. Eam eſſe infinitæ illius, & ſapientiſſimæ bonitatis naturam, vt cum nullius vere mali, vitij, aut peccati autor eſſe poſſit, malis tamen omnibus ad electorum ſuorum profectus vtatur, pijs omnibus in confeſſo eſt, & in doctrina religionis velut axioma quoddam aſſumitur, hæreticos eſſe, qui cum Chriſto nomen dederunt, catholicæ eccleſiæ in doctrina Chriſtianæ religionis & fidei non conſentiunt, & propter hoc ab eius communione excluſos, propria vocabula, proprioſq; conuentus ſibi inueniſſe, vt Manichæos, Photinianos, Arrianos, multoſq; præterea, et his noſtris temporibus, Lutheranos, Sacramentarios, Anabaptiſtas, atque alios eiuſmodi, æque habet, & ab initio habuit communis eccleſiæ catholicæ ſententia. Nam in vna communi catholicæ eccleſiæ

fide,quæ non ſolum a ſuis,ſed etiam ab ipſis eius ini micis,velint nolint(vt D.Auguſtini verbis hoc di= cam)catholica nominatur,inueniri Chriſtianæ do= ctrinæ & religionis,claram,certam,atq; infallibilem regulam,alibi clariſſime demonſtrauimus,cui quic quid non conſentit,erroneum,atq; adeo eſt impiũ, etiam quantumuis diuinorũ eloquiorum contega= tur ac veſtiatur velleribus.His tamen, vt & cæteris malis omnibus ad eccleſiæ ſuæ profectum,animarũ curationem, & inſtitutionem ſpiritalis populi vti= tur diuinæ bonitatis immenſitas: vt qui doctrinæ ſuæ nouitate infirmiores quidem & carnales ad ve rum quærendum:ſpiritaliores vero,et magis a Deo illuminatos catholicos,ad verum aperiendum exci tant:efficiuntque iuxta dictam Apoſtoli affirmatio nem & ſententiam,vt qui probati ſunt,manifeſti fi= ant inter nos.Sunt, inquit Auguſtinus, innumera= biles in eccleſia ſancta probati a Deo viri, ſed mani= feſti non fiunt inter nos,quamdiu imperitiæ noſtræ tenebris delectati dormire malumus, quam lucē ve ritatis intueri. Quapropter multi, vt diem Dei vi= deant & gaudeant,per hæreticos de ſomno excitan tur. Vtendum proinde idem ille docet hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt catholi=

cam diſciplinam aduerſus eorum aſſerētes inſidias, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus. Mihi certe hoc profuerunt, vt velut a ſomno quodam excitatum, ab alijs ſtudijs, in quibus dimerſus fueram, ad catholicam diſciplinam ſophiſtarum quorundam ſtudio (quod vt negare, ita diſſimulare non poſſum) his noſtris temporibus haud parum obſcuratam & ſpinoſis quæſtionibus obrutam, luculentius explicandam, & aſſerendam ab hæreticorum iſtorum, quibus falſo aſpergitur calūnijs, reuocauerint, quo & ſimplicioribus, incautioribuſque conſulerem: quibus eorundem peruerſitatem, peſtilentiſſimas machinationes, & fallaciſſimas pernicioſiſſimasq;, quas moliuntur inſidias, ante oculos ponere conatus ſum, a quibus, vt in hanc arenā iamdudum pertractus ſum, ita etiam nunc, vt nōnulla, quæ a nobis pie & catholice aduerſus illorum impietatem ſcripta, etiam noſtrorum quidem calumniantur, luculentius explicarem, & diligentius aſſererem, me coegerunt. Nam cum nuper publica autoritate euocatus vna cum cæteris plæriſque intereſſem conuentibus religionis & doctrinæ fidei conciliandæ cauſa, primum Vuormatiæ, deinde

Ratiſponæ celebratis in Germania, & viderem (q̃d res ipſa comprobauit) non magnũ ex his fructum expectandum eccleſiæ, ipſe tum mihi hanc indixi laborioſam ſane & periculoſam prouinciam, vt vniuerſa, quæ controuertuntur inter aduerſarios & nos, pertractarem diligentius, & hinc catholicam veritatem, inde quantum ab eadem diſcrepet aduerſariorꝫ ſententia demonſtrarem per ſingula, & ob oculos ponerem. Qua in re ſi pijs eruditiſq; a me ſatisfactum eſt, plusq̃ ſperabam obtinui. Quandoquidem abſens a libris familiaribus, agens peregre, atq; adeo inter medias ipſas itineris turbas, neſcio quo impetu ſpiritus egeſta ea verius, quam digeſta publicaui continuo. Deinde cum reuerſus in patriam Martini Buceri libellum offenderem, quo acta Ratiſponenſia haud ſane ſynceriter explicat, & vniuerſam non conciliatæ illic in religione concordiæ inuidiam in noſtros transfert, & a ſuis nihil ſtetiſſe pſuadere earum rerꝫ ignaris conatur, quo minus eccleſiæ ſit reddita pax & concordia, cuius ſe ſuoſque cupientiſſimos facit: exiguo mox ego libello, quo eius vere componendæ ſarciendæq; rationem explicare conatus ſum, ſcandalis infirmiorꝫ & ſimplicium, quæ ille ſuis illis actis parabat, occurrere ſtudui:

dui:& palam facere,quamuis diſſimulanter, & velut agens aliud, aduerſariorum machinationes, & Buceri in ſuis illis actis inſidioſas calumnias:quamuis eius nomen vix ſemel atq; iterum, neq; odioſe, in illo perſtrinxerim. Tametſi illa ipſa eius acta aperto Marte fortiter oppugnata, & per ſingula pene verba excuſſa ab Eccio (quod vt a me fieret poſt explicatas a nobis in religione controuerſias, quas componi ſtudemus, operæprecium viſum nõ eſt) poſt publicatum noſtrum libellum,primum intellexi,vt velut ex longinquo tardius ad nos perferuntur eiuſmodi,atq; etiam ob interdictos aduerſariorum libellos leguntur a paucis. Aduerſus quæ noſtrum ille ſtudium æmulatus, nunc librum emiſit, cui titulum fecit, de Vera eccleſiarũ in doctrina,cæremonijs,et diſciplina,recõciliatione & compoſitione, in quo me ſibi præcipue antagoniſtem delegit. Quod ægre non ferrem,ſi modeſte faceret,& quanquam multas in me Dei dotes agnoſcat & prædicet,excellenti enim doctrina,et ſi quem alium,in excutiendis quæſtionibus methodicum, et in tractandis rebus diſertum facit,& deplorat ingenium tantum,tamq; præclare,& natum,& diſciplinis excultum, regno Chriſti potius propugnando, quam

Antichriſti inſtaurando, magiſque receptæ, vſitatæq; ab initio eccleſiaſticæ adminiſtrationis formę, & veteri germanæq; doctrinæ eccleſiæ adſerendi, quam ipſorum profanis, impijſq; nouitatibus con firmandis (tametſi contrarijs hæc vniuerſa vocabu lis deſignet) dedere ſe voluiſſe. Contra tamen aper tis, impudentibus, atque intolerandis me conuicijs flagellat, nunc ſophiſtam, nunc calumniatorem faciens, et qui excitati a patre mendacij contra Chriſti doctrinam, quam & ſuam facit, noſtris eandem perturbauerimus paralogiſmis & calumnijs, effecerimuſque, vt quamuis clara ſit & perſpicua, a multis tamen, etiam vere timentibus Deum, non percipiatur, ſed exiſtimetur cum doctrina Chriſti pugnare, idque non nouis alijsve, quam cæteri ſophiſtæ idem tentauerũt, rationibus, ſed nouo artificio: quod ijſdem tale adhibuerim ad ipſorꝫ doctrinam deprauandam, & contra noſtram adornandam, vt eccleſiæ intereſſe putauerit, noſtras potiſſimum cauillatiões depellere. Adhæc, Dei partes temere & ſacrilege inuadens, de occultis cordis noſtri iudicat, nunc nõ eas mihi cauſas fuiſſe ſtudij & inſtituti in inſectandis aduerſarijs, quas ego præfero, zelum, inquã, domus Dei, et curam veræ, certæq; diſciplinæ

Chri-

Chriſti:nec q̃d ad vindicandam eccleſię Hierarchi am,operã laboremq́ meum cõferre voluerim: ſed odio ipſorꝝ,non eſſe me mei compotẽ. An vero his ipſis verbis, hac ipſa loquela manifeſtum ſe non faciat,mihi vedetur nulli germane Chriſtiano dubiũ eſſe poſſe. Hoc enĩ habet, qui iſtos exagitat ſpiritus proprium, vt e diametro pugnet cum Chriſti ſpiritu: vt vel hinc aduerſus peſtilentiſſimas iſtorum ſeductiones vere Chriſtianis,ſi prudenter attendat, ſecurus eſſe facile poſſet, etiamſi doctrinæ eorum aliud nullum indicium haberet. Nam tam amarulentus ſpiritus, & qui nil niſi dirum, niſi amarum & conuiciosſum ſuggerit & eructat, quam cum illo Chriſti veræ manſuetudinis ſpiritu cõgruat, nemo ignorare poteſt vere Chriſti diſcipulus. Quo ego animo doctrinam illorum oppugnauerim, ille mihi teſtis eſt, qui inſpector eſt cordium, & me iudicaturus eſt. Nullius certe odio, quam vnius impietatis, corruptæque per illos religionis, doctrinæ & veritatis aſſerendæ ſtudio id a me factũ, ſpero re ipſa ſatis me approbaſſe pijs omnibus. In quo, ſi quod ille mihi tribuit, talem artificem præſtiti noſtræ tenuitatis conſcius, illi acceptum refero, cuius cauſam egiſſe me, non oppugnaſſe nihil dubi-

dubito. Nec ſcripſi calumnioſe, quemadmodum ſuo more, & ſecundum illius, qui ſingulari diuinæ prouidentiæ beneficio, nuſquam in ſcriptis eorum ſe non prodit paracleti eorum ingenium, calumniatur ille: ſed hoc ſentio, quod ſcripſi: hoc ſcripſi, quod ſentio. Sed ad conuitia & maledicta eius in nos diſſimulabimus poſthac, tantū his paucis eorum commemoraſſe viſum eſt operæprecium. Nunc vero ad inſtitutum regredientes, vnde nonnihil digreſſi ſumus, libro ille ſuo, quem commemorauimus, tria præcipue hoc ordine exequitur, primum vnde & quibus ex cauſis hoc in religione diſſidium ortum primo, & auctum deinde, perductumque adhuc & retentum ſit explicare conatur. Secundo deinceps loco quonam pacto idipſum tolli, & vera eccleſiarum concordia queat reſtitui. Poſtremo quæ religionis controuerſiæ Ratiſponæ compoſitæ, quæ minus, & quo minus hæ quoque componi queant. Quod tametſi ita polliceatur in vniuerſum, trium tamen controuerſiarū, aut articulorum tantum meminit, nempe de libero arbitrio, de peccato originis, & de iuſtificatione hominis, & in his tantum duobus articulis poſterioribus, noſtram ipſis aduerſantem ſententiam calumniari atq; impugna-

pugnare conatur , & noſtras rationes diſſoluere. Quod ipſum, quam feliciter, quamque efficaciter fecerit, poſt viderimus. Itaq; quamuis nobis conniuere liceret ad cætera eius libelli omnia, quia tamen totus amaritudinis felle tinctus, & pernicioſiſſimo veneno imbutus, verborum quodam rotatu atque inuolucro, quibus nonnunquam Chriſtianam pietatem egregie ſimulat, incauto lectori facile poſſet imponere, vniuerſum a capite, quod aiũt, ad calcem breuiter excutere viſum eſt. In quo tamen hoc mihi importuniſſime accidit, quod grauiter & diuturno admodum, grauiſſimoq; laboranti morbo (cui nihil æque aduerſatur ac lucubrare & laborare ingenio) ille mihi nunc primum oblatus eſt, cui imputabit æquus lector, ſi quid in hoc noſtro minus excuſſum, emunctumque occurrerit. Maturius certe prodijſſet, niſi & morbo plus indulgere, quã ipſe velim, mihi fuiſſet neceſſarium. Sed ſpero illum vires nobis ſubminiſtraturũ, cuius cauſa agitur. Quẽ oro, vt nobis omnibus ſuum veræ pacis et concordiæ Chriſtianæ ſpiritum inſpirare dignetur, & ad eandem ſuggerere conſilia efficacia. Vale.

APOLOGIA ALBERTI PIGHII CAMpenſis aduerſus Mart. Bucerum.

Vnde & quibus ex cauſis ortum primo, & auctum deinde, perductumque adhuc ſit hoc in religione diſſidium, Buceri paucis explicatur ſententia.

DEmõſtraturus ille veram, quam dicit, originem et progreſſum vitioꝝ, quę in religionem noſtram inuaſerũt, tum diſſidiorum, quæ ob tentatam per ipſos horum vitiorum correctionẽ oborta ſunt, altius petito, ſed alieno ſane, quod poſt intelliges, a re principio, in duobus maxime capitibus vniuerſas inter ipſos et nos controuerſias contineri affirmat. Quoꝝ primum facit, quibus rebus nobis paretur, & conſtet peccatorum remiſſio, & cum Deo reconciliatio. Secundum, quis ſit legittimus Dei cultus, ac grata Deo opera, in quibus pios homines exerceri, & Deo ſe approbare conueniat. De his enim duobus capitibus, quandocunqꝫ viciata eſt religio, ꝑuerſas opiniones inter homines graſſari affirmat.

Hinc

Hinc longiſſima digreſſione,& ſui pene inſtituti oblitus excurrit & traducit craſſiſſimum ſane errorem carnalium quorundam,tam ſub veteri, quã ſub noua lege hominum,qui ſine fide diuinæ offenſæ potentiæ,& pietate in Deum,in externa tantum illa operum facie, quæ proprie ad latriam & diuinum cultum pertinebant,atq; inſtituta erant, denique et corporis exercitatione, in ieiunijs, vigilijs, laboribus, vitæ auſteritate,quam vltro ſibi accerſunt & imponunt homines,vniuerſam ſalutis fiduciam ponabãt. Quod ipſum,ſi ſyncere faceret,nobiſcum faceret,& catholicam,conceſſam, notamque omnibus veritatem aſſereret: quamuis fruſtra in ea aſſerenda ſe torqueret, & lectori prolixitate immodica nihil ad rem pertinente,moleſtiam faceret. Nunc ita id facit, vt in his Iouiniani agnoſcas germanum diſcipulum, vt qũi non ſolum ambitioſæ, ſed etiam furioſæ ſuperſtitionis illos notat, quorum glorioſam atque ardentiſſimam fidem prædicat Apoſtolus: quos velut duces & anteſignanos tranſigendæ in vera religione vitæ nobis commendat, & proponit illa ſancta eccleſiæ Chriſtianæ antiquitas: qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, errantes in ſolitudinibus, in montibus & ſpeluncis

& cauernis terræ, atq; adeo Chriſti præcurſorem & baptiſtam, quo nemo ſurrexit maior inter filios hominum, hac nota perſtringit. Horum, inquam, omnium ambitioſam, imo & furioſam ſuperſtitio nem fuiſſe dicit, quod corpori condita & conceſſa a Deo bona ſubtraxerunt, vltra quam eo conferat, vt ſobria pietate, et pia ſobrietate nomē Dei ſanctifi cemus ad proximos, atq; eius regnũ proferamus.

Ex his præmiſſis, & velut iactis fundamentis, ac principijs, in omnes eccleſiæ ordines impetũ facit: omnium vitam odioſiſſime proſcindit: vniuerſosque craſſiſſimo illo, quem ante traduxit, errore excæcatos affirmat, & ſine offenſæ Dei pœnitentia, et fide viua in Chriſtum, externa tantum illa cæremo niarum latria, atq; operum facie, ſalutem ſe aſſequu turos credere. Maxime vero atq; odioſiſſime omni um flagellat Romanos Pontifices, in quos effreni impudentia euomit, quicquid ſuggerere illi potuit amarulentus ille, et omnis Chriſtianæ modeſtiæ ad uerſarius ſpiritus, in quos etiam præcipuam dicti er roris cauſam tranſcribit.

Quē tametſi etiam prioribus ante nos tempori bus a paucis quibuſdam, & ſine ſucceſſu aliquo

per-

perſtrictum, ſuggillatumque, nunc tandem dominus ſuæ miſertus eccleſiæ, cum tantæ eius & tam calamitoſæ oppreſſioni aliquando ſuccurrere vellet, primum per Eraſmum Roterodamum cœperit conuellere: vt qui magno acumine, viuiſque argumentis, & qua pollebat eloquentia ac dexteritate, commonere aggreſſus eſt, ſalutem noſtram nō poſſe, nec conſeruari, nec reparari cæremonijs, ſed fiducia vera in Chriſtum. Nec probari Deo poſſe opera, quæ non iuxta præceptum eius eo ſpectent & valeant, vt per ea proximo ad bene pieque viuendum commodetur. Succeſſiſſe illi ſtatim Lutherū, qui non ſolum dicto errori euellendo manum iniecerit, ſed & vniuerſam de pœnitentia, & impij iuſtificatione doctrinam repurgarit, atque explicarit, vna cum alijs plæriſque hinc pendentibus neceſſarijs quæſtionibus, de peccato originis, & natura hominis, de diuina gratia, de fide, de ſacramentis, de miſſa, de bonis operibus, de humanis traditionibus, de autoritate eccleſiaſtica, de libertate Chriſtiana. In quibus equidem locis contineri vult, quicquid his proximis annis viginti, de religione inter nos, quos catholicos cenſeri vel inuitus confitetur, atq; ipſos, quos Lutheranos aut proteſtantes vocari affirmat,

in controuerſias venit. Luthero ſe quoque, & cæte-
ros plærosq; eius diſcipulos, qui ipſius magiſterio
ac ductu ad lucem veritatis peruenerunt, velut ſub-
ſidiarios, aduerſum nos adiunxiſſe in acie, qui ipſos
velut nouarum & damnatarum hæreſeon inuen-
tores, propugnatoresq; execrari cœpimus. Et hinc
orta, quæ nunc cernimus in religione diſſidia: hinc
aucta protractaque adhuc, dum ipſis doctrinæ
Chriſti, quam profitentur, repurgationem, & ec-
cleſiæ diſciplinæ correctionem molientibus non
obſequimur, ſed reſiſtimus potius. Cætera quæ
ſubiungit omnia, vel criminationes & in nos con-
uitia continent: vel excuſant multa, quæ diſſimu-
lare non poſſunt, pijs omnibus in ipſis merito diſ-
plicere: vel quæ excuſari non poſſunt, vt ad ea
conniueamus potius amore reparandæ inter nos
vnitatis, & concordiæ, quam vt ſine fine & mo-
do ea exagitemus perpetuo, nobis perſuadere co-
nantur: vel denique qui ſub ipſorum nomine &
doctrinæ prætextu a fucis multis, qui inter ipſos
ſunt, errores multi peſtilentes, & fanatici inducti
ſunt, vt eos alienos a ſua doctrina faciant: vel po-
ſtremo in Lutheri verſantur defenſione & laudi-
bus. Quem vnum omni exemptum vult crimi-
ne:

ne: imo velut heroicum aliquem, & coelitus demiſſum nobis virum producit, ornatum virtutibus omnibus, & tanquam Chriſti apoſtolum. Nihil hunc vnquam præter Chriſti gloriam, vtque eius regnum hoc vbique erigatur, quæſiſſe, aut quærere. Nam de ſe, & cæteris ſymmiſtis ſuis Lutheri diſcipulis, agnoſcit ingenue eſſe plurima, quæ pijs omnibus merito diſpliceant, vt qui iuuenes, imperitique prope omnes, poſtquam ex Eraſmi, Lutherique doctrina, quid vera eſſet religio, intelligere cœperant, ad hanc cauſam tantam protracti, multa temere commouerint in eccleſia, quæ præſtiterat ne attingere quidem: eaque audacia ſoluerint populum & doctrina eccleſiaſtica, & ſacrorum reuerentia, quod nec communionis ſanctorum, hoc eſt, vnitatis eccleſiaſticæ conſeruandæ, nec diſciplinæ Chriſti, & eccleſiaſticæ ſcientiam iuſtam habuerunt. Nunc vero ſuos ipſi errores edocti, quicquid ad inſtituendam veriſſimã ſanctorum communionem, ad perfectiſſimam eccleſiæ diſciplinam vllo modo facere poſſit, id non amplecti modo ſe paratos eſſe, & promouere, ſed vt hæc cognoſcantur ab omnibus & recipiantur, pridem ſumma cura & fideli opera ſe elaborare, ad

quod

quod ille nos quoque, vt etiam ipſis coniuncta ve-
lut manu, mutuoque ſtudio & conatu collabore-
mus, adhortari multis pergit: ſaltem, vt ipſos hac in
re iam pridem ſudantes, non dedignemur adiuto-
res & ſocios. Quod vtinam ſyncere faceret: vtinam
ſua ipſius verba, quibus nos exhortatur, idem ipſe
recte perpenderet: vtinam quales ſe exhibuerũt ad
diſiunctionem, ſeu luxationem quandam membro
rum corporis Chriſti, tales ſe ad coagmentationem,
reconcinnationemque, atque vnionem eorundem
exhibeant. Et hactenus, quibus ex cauſis hoc religi-
onis diſſidium, & ortum primo, & auctum dein-
de, perductum adhuc & retẽtum ſit, Buceri ſenten-
tiam, quanta potuimus fide, luculentia, & breuita-
te explicauimus, totius orationis eius membra, ex-
punctis ſubinde parergis, ac digreſſionibus, quibus
incautum lectorem a ſcopo diſtrahit, & ſenſim,
quo vult, ducit, ita ſecum componentes, vt eius ne-
xum, vim, & efficaciam, & quam apte propoſita ab
ipſo concluſio ex ſuis illis deducatur principijs, le-
ctori oculato & dialectice perito intelligere haud ſit
difficile. Qua in re, vt & minus exercitato in his, at-
tentoque lectori conſulamus, viſum eſt vniuerſam
eius compoſitionem paucis excutere, quo clarius
intel-

intelligant omnes, quibus hi ſtrophis, technis & verborum fumis, parum cautis, minuſque attentis ſua perſuadere conantur.

Explicatæ iam Buceri ſententiæ de ortu, auctuq; controuerſiarum, quæ nunc religionem con turbant, excuſſio.

AVdiſti Chriſtiane lector, a quibus ille principijs exorſus, quam apte, vereq; deducat ortum, progreſſumq; controuerſiarum, quæ nunc in religione ſunt. In quibus ego ſane nullam orationis aut ratiocinationis cohærentiam, imo nihil præter fumum inanium verborum, præter ſcopum vltro citroque curentium video: conaborque, vt idem & tu clare intelligas.

Aſſumit velut primi principij loco: Quandocunque eſt vitiata religio de duobus his capitibus, peruerſas opiniones graſſari inter homines, nempe: Quibus rebus nobis conſtet & paretur peccatorum remiſſio & cum Deo reconciliatio. Quis item ſit legittimus Dei cultus: quæ grata Deo opera, in quibus pios homines exerceri, & ſe Deo approbare

conueniat. Quod ipſum principium, primo quam ſit in ſe falſum, deinde quam alienum a propoſito, nunc demonſtrabimus. De dictis duobus capitibus, de peccatorum, inquam, remiſſione, quibus remedijs obtineatur, & de legittimo Dei cultu, quis ille ſit, & quæ opera Deo placeant, prauas opiniones graſſari inter homines, quotieſcunque eſt vitiata religio, euidenter falſum eſt. Religionem ego intelligo, & opinionem, quam de numine, aut Deo habent homines: & externum aliquem operum apparatum, cultumque, quo profitentur eandem, & venerari ſtudent, quem habent pro numine, iuxta opinionem quam de eodem conceperunt. Veram proinde religionem eſſe, qua verus Deus vere cognoſcitur, & pie colitur: vt ex his duobus integretur vera religio, cognitione, inquam, Dei vera: & cultu pio, qui illam prærequirit, & ex eadem dependet. Porro Dei cognitionem hic intelligimus, non eam, qua ipſe cognoſcitur in ſe, ſed magis, vt erga humanum genus ſe habeat, quatenus ipſe hoc cognoſci vult & dat hominibus. Cognoſcitur autem a nobis, partim ratione, mente atque intelligentia, ſed a paucis: ijs, inquam, quibus eſt vita purgatior ab animalibus, carnalibuſque affe-

ctibus,

ctibus, nec falſis rerum ſenſibilium imaginibus, quibus hic nos mundus ludificat ac faſcinat, in varios errores opinioneſque pertrahuntur. His datum eſt diuina illa, etiam mente atque intelligentia percipere: ſed non admodum multa, & velut per tranſennam ac nubilum: quales plurimos ſub lege naturæ fuiſſe indubitatum eſt: partim eorum, qui philoſophiæ ſtudio ſe addixerunt ſyncerius. Inter quos, ille Hermes Triſmegiſtus, Socrates, Plato, & qui cum eis philoſophati ſunt: partim vero, qui a pijs parentibus ſecundum ſucceſſionem, & velut per manus, quod & illi a ſuis maioribus acceperant de Deo vero, vera edocti ſunt: partim denique, quos ſingulariter ad hoc illuſtrauit diuinæ lucis radius, quorum plæriſque & Prophetiæ donum elargitus eſt: quales, quæ commemorantur a primis illis noſtræ religionis aduerſus gentilem ſuperſtitionem aſſertoribus, Sibyllas illas fuiſſe, conſono teſtimonio fida teſtatur antiquitas.

Sed hæc cognitio, ad vulgus hominum non pertinebat, nec pertinet. Quibus vt etiam conſuleret diuinæ erga nos pietatis prouidentia, partim viuo ſuo oraculo, partim ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis, quas ſpiritu ſancto inſpirati prodide-

diderunt ſancti Dei homines, partim etiam viua eorundem traditione, humano generi vniuerſo, ſe, ſuamq; erga nos voluntatem, & viam, qua perduceremur ad beatitudinem, publice reuelare dignatus eſt. Cuius tam multos, tam certos teſtes habemus, tam innumera eiuſdem illius reuelationis, atq; atteſtationis teſtimonia, quibus ille ſuorum doctrinam confirmauit, & ſuam eſſe demonſtrauit, ſubſequentibus eandem ſignis ac prodigijs, & præter hæc, tot ſæculorum ſucceſſionem, & fidem conſonam, conſenſumque maximum, vt de eo dubitari a nobis ſane, ad quos iſta, ab ipſo eccleſiæ initio, ab ijs qui oculati teſtes eorum fuerant, continua ſucceſſionis ſerie, velut per manus a patribus in filios certiſſima fide perducta ſunt, extremæ dementiæ foret. Itaque creduntur iam hæc per orbem totum: leguntur, & magna cum veneratione libēter ſuſcipiuntur a credentibus populis, velut diuina oracula, quæ mente atque intelligentia non poſſunt percipi, & inueniuntur, qui etiam re ipſa, quod credunt, exhibent, & ſanguinem, ignes, cruces, pro eo nihili faciunt: inueniuntur & inuenta ſunt tot iuuenum & virginum milia contemnentium nuptias, caſteque viuentium, & qui mundo, & vniuerſis, quæ ille ſenſi-

bus

bus ingerit,illecebris, & promittit bonis,renuncian tes,voluntariam paupertatem amplexi, relictis abie ctiſq; omnibus, poſt nudum Chriſtum crucem ſu am portant. In hæc,illa Dei cognitio,quam fide tan tum,non vlla mentis atq; intelligentiæ euidentia ac cepimus, quin potius in plæriſque cum eadem pu- gnare videtur,in multis, qui eandem ad ſuam ſalu- tem excoluerunt diligentius,profecit & proficit.

Diuinus porro cultus (quæ altera religiōis pars eſt)actus eſt quilibet, quo Deum vt Deum venera mur,ac colimus:quem latriam Græci vocāt. Quod orationibus,quas ad Deum fundimus,idipſum ex primentibus, ſacrificijs,& cæremonijs plæriſq;, at- que alio externorum operum apparatu fit. Sacrifi- ciorum hac in re vſus ueteribus multiplex extitit: quæ quod futurorum adumbrationem quandam & ſignificationem habebant, quæ deinceps re ipſa exhibita ſunt, nobis quoque ſublata ſunt, & in lo- cum eorum omnium, vnicum illud ſacrificium ſa- croſanctum corporis & ſanguinis redemptoris no ſtri in euchariſtia (quæ commemorationem inge- rit,eiuſdem quidem illius ſacrificij,ſed vt in ara cru- cis pro nobis iamdudum oblatum eſt,quemadmo

dum illa vetera tam multa, illud ipſum ſacrificium, vt futurum, ſubindicabant) ſucceſſit. De quo diuinus ſpiritus per Malachiã Prophetam, id quod in Chriſtiana eccleſia ab initio factum cernitur: Ab ortu, inquit, ſolis vſque ad occaſum, in omni loco, ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum. Veteribus etiam cæremoniæ multiplices fuere, ad latriam, diuinumque cultum pertinentes: quæ nobis diuini ſpiritus magiſterio, ab Apoſtolis, Apoſtoliciſq; viris magna parte commutatæ ſunt. Vniuerſa certe forma diuini officij, quod in eccleſijs per orbem hactenus celebratũ eſt, & nunc furioſa & ſacrilega temeritate Lutherus cum ſuis tollere e medio aggreſſus eſt, & ſuſtulit ex ſuis eccleſijs, tam in orationibus & pſalmodijs & diuinis laudibus decantandis, quam cæremonijs ſacris, nihil eſt aliud quam mera, veraq; latria, verus, piuſq; Dei cultus.

In duobus ergo iſtis cum conſiſtat vera religio, ſyncera, inquam, doctrina fidei, & pio Dei cultu aut latria, ſi quid in vtroque aut altero vitiatum fuerit, vitiatam religionẽ recte dicimus, vt ſi apud

quos

quos vigeat error in doctrina fidei: ſi modo ille ani moſe, & contumaciter defenditur contra communnem traditionem, & conſenſum catholicæ eccleſiæ, & publicæ, quæ in eadem præſidet, autoritatis ſententiam: ſi item etiam in diuino cultu ſit vitium, vt ſi, quod pro Dei cultu inſtitutum eſt, aut eundem re ipſa & actu exprimit, impendatur aut diabolo, aut creaturæ alteri: ſi Deum abominando aliquo, vetito, interdictoque cultu colere ſtudeamus: vt ſi illi, quemadmodum de Iepte ſcriptura commemorat, ſuperſtitione aliqua adſtricti immolemus innocentem hominem: ſi litemus illi humano ſanguine, aut necromanticis plæriſq; ritibus alijs: ſi denicq; in vſum reuocare vellemus vetera illa, & abolita ſacrificia. Hæc, inquã, propria religionis vitia ſunt: hij veræ religionis corruptores, qui iſtiuſmodi vitia introducunt, atq; introduxerunt, in quæ, vt omnium grauiſſima peccata, grauiſſime ſemper a Deo animaduerſum eſt.

Cætera ad Deum & proximum officia, ſiue illi, mente ab his terrenis fecibus defecata, pio amore inhæreamus: ſiue proximo charitatis, quæ lex Dei & naturæ requirit, impendamus officia: ſeu denique luctemur nobiſcum, quo mortificemus veterem homi-

hominem,& ſubijciamus imperio ſpiritus,ad latria am proprie non pertinẽt: nec inducta inter plæroſque religioſi ſodalitij his contraria vitia, ad religionis vitia pertinent, vt ſi quis inter nos viuat carnaliter,luxurietur,crapuletur, inebrietur, mammonæ deſeruiat, non impendat proximo charitatis officia, ſed contra,verbo & re illum offendat potius: ſi quis diuinæ offenſæ,cuius ſibi eſt conſcius,non ſyncere pœniteat. Hæc, inquam, vitia religioſos quidem vitiant, ſed religionem ipſam non vitiant, niſi accedat, aut præcedat error in doctrina fidei: peſtilens, inquam, perſuaſio aliqua, qualem ex aduerſariorum doctrina conceperunt non pauci: imo qualem eam ipſa aptiſſimis verbis docet atque aſſerit, vniuerſa hæc vitia ad aſſequendam ſalutem nobis impedimento non eſſe, modo vna fides adſit, qua quis ſibi firmiter perſuadeat, Chriſtum abunde dependiſſe pro ſuis peccatis omnibus: eius ſatisfactionem ad ſe certo pertinere:iam ſe in Chriſto factum Dei filium, atque illum ſe propitium patrem habere, quibuſcunque alioqui peccatis alijs contaminata vita eius fuerit: ſolam fidem eſſe neceſſariam: cætera omnia liberrima, nec præcepta, vt inquit ille, nec prohibita. Credentis in Chri-

ſtum

ſtum nulla eſſe opera tam mala, quæ eum poſſint accuſare aut damnare. Nullum eſt peccatum, quã vnam infidelitatem: nullam iuſtitiam, quam vnam fidem. Non dubitandum nobis de ſalute, poſtquã baptizati ſumus: quod promiſſio ibi facta, non ſit vllis peccatis mutabilis: proinde baptizatũ, etiam ſi vellet, non poſſe ſalutem ſuam perdere, niſi nolit credere. His, inquam, atq; eiuſmodi, quibus vniuerſa doctrina Lutheri & aduerſariorum paſſim ſcatet, qui ſemel induxit in animum credere, ſuis peccatis & carnalibus vitijs, in quibus molliter quieſcit, neceſſario adiungit hunc errorem peſtilentiſſimum, & vniuerſæ religioſæ diſciplinæ aduerſantem, quo ſibi perſuadet, hæc ſua vitia non fore illi ad ſalutem impedimento, modo, quam illi docent, fidem vel ſolam habeat: ſi ipſorum Euangelio credat: ſi nihil dubitet ſe Dei filium, propterea quod ita credit, ſicut prædictum eſt, etiam quicquid de vita ſua fuerit: etiam quantumcunque alioqui diuina gratia indignus fuerit, quæ nihil moretur dignitatem noſtram, præparationes & opera. Iſtiuſmodi igitur errorem omnium pernicioſiſſimum qui carnalibus hominibus & peccatoribus inſtillant, religionem grauiſſime viciant: non illi, qui quãuis pecca-

 tores

tores & carnaliter viuentes,ſynceram tamen religi-
onis doctrinam adhuc recipientes, eccleſiaſticæ di-
ſciplinæ nihilominus ſubiecti ſunt, cuius erga eoſ-
dem corripiendos et reducendos adhuc valet ener
gia & ſeueritas. Quã vt in eccleſijs ſuis ſe funditus
ſuſtuliſſe,ſua, quam confitentur, imprudentia, qua
ab initio vſi ſunt,ſero,vt audiſti, agnoſcunt, & ſero
intelligunt aduerſarij, nec fere ſperant eandem poſ-
ſe reſtitui,quando nec viuo Luthero,cæteriſq; ſym
miſtis eius adhuc conſtitui potuerit: ita iam experi
untur, nullam ſine ea poſſe conſeruari religionem
inter homines.

Quorſum vero hæc paulo altius exorſa,& proli
xius explicata ſunt? Imprimis ex his Chriſtiane le-
ctor intelligis,quã ille falſum prętẽdat ſuę orationi,
qua explicare conatur cauſas cõtrouerſiarum, quæ
in religione ſunt principium: quas vniuerſas, cum
ſit euidens, apud illum cum ſuis exiſtere, in nos
transferre conatur. Euidẽter enim falſum eſt,quod
ille primi principij loco aſſumit: Quotieſcunq; eſt
vitiata religio de duobus his capitibus,peruerſas o-
piniones graſſari inter homines,de peccatorum,in-
quam, remiſſione, quibus ea medijs paretur: & de
cultu Dei legittimo,quis ille ſit, & quæ opera Deo
pla-

placeant. Quanq̃ hoc, velut caput tertium, vt diſpa ratum a duobus prioribus debuiſſet adiungere.

Vitiatur imprimis religio per omnem hæreſim, et errorem introductum in doctrina ſanæ fidei. At non in omni hæreſi de dictis capitibus introductæ ſunt controuerſiæ in eccleſia, & prauæ opiniones, er roreſq; recepti inter homines. Cum Arriana peſtis vniuerſam pene Oriẽtalem infeciſſet, nec minus cõ turbaſſet Occidẽtalem eccleſiam, certum eſt grauiſ ſime vitiatam religionem fuiſſe, vbicunq; ea hære ſis recepta fuerat. Idem factum inficiari nemo po teſt, in vniuerſis introductis ab initio, a Martione, Valentino, Baſilide, Apelle, Eutychianis, Ebionitis, Patripaſſianis, Manichæo, eorumq; complicibus et ſectatoribus, cæteriſq; omnibus, q̃ vſq; nunc fuerũt ab initio: ne in enumerãdo ſim fruſtra prolixior. In quarũ tamen nulla, controuerſiæ vllæ de prædictis capitibus introductæ ſunt in eccleſiam: nec eſt lege re in vllis monumẽtis veterum, aut qui dimicarũt aduerſus ſui ſæculi hæreſes & hæretitos, aut qui ca talogon nobis prodidere hæreſeon, de dictis capiti bus vllos vnq̃ errores doctrinæ ſanę fidei contrari os viguiſſe, & publicos alicuius nominis aſſertores

habuiſſe in eccleſia præter eos, quos primus introduxit Lutherus & aduerſarij.

Res, quibus nobis conſtat, ac paratur peccatorũ remiſſio, ſemper extra omnem controuerſiam fuere. Imprimis fides orthodoxa & catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Deinde ſyncera pœnitẽtia vitæ veteris, & ad Deum vera per amoris ſynceri affectum conuerſio: quæ ex fide illa, velut ex radice, per ſua media procedunt & germinant. Quæ vero illa ſit vera, et Deo accepta pœnitentia, & quæ ſit, & ſemper fuerit catholicæ eccleſiæ de eadem ſententia, controuerſia de pœnitentia euidens fecimus: nec minus, quos aduerſus eandem impios errores Lutherus cum ſuis primi introduxerunt, quam miris ac miſeris eam modis obſcurarint, & non illuſtrarint, vt falſiſſime ac vaniſſime gloriari non ceſſant. De diuino cultu legittimo, quis ille ſit, æque nulla vnquam fuit hæreſis in eccleſia, nec dubitatum a Chriſti fidelibus: Is nempe ille, qui toto orbe in eccleſijs pro diuino cultu ab initio receptus, & publice celebratus cernitur, in offerẽdo illo ſacroſancto altaris ſacrificio, corporis & ſanguinis redẽptoris noſtri, in cõmemorationẽ eiuſdẽ illius ſacrificij,

vt in ara crucis oblatum eſt:cæteroq; vniuerſo, q̊d dicimus,diuino officio: in ſolennibus illis orationibus,diuinis laudibus, pſalmodijs, ſacriſq; cæremonijs,quæ toto orbe celebrantur in eccleſijs. In quarũ paucis etſi varietas nonnulla incidat, ea nec pietati, nec religionis vnitati, ſynceritatique in vllo officit. Quæ Deo placeant opera, vt a prædictis plane diſparatum caput eſt (multa ſiquidem Deo placent, quæ ad latriam & diuinum cultum proprie non pertinent) ita nunq̃ ab initio a pijs dubitatum eſt, ſed ipſo velut cõmuni naturæ ſenſu intellectum ab omnibus:nempe quæcunq; a nobis fiunt pio erga deum affectu:ſiue ea fiant honoris eius gratia : qualia ſunt vniuerſa,quæcunq; ad latriam,& cultũ eius proprie pertinere paulo ante oſtendimus:ſiue quid faciamus,aut nobis imponamus graue, pœnale, & aſpere,quo ita vlciſcamur in nobis ipſis peccata,quibus eius maieſtatẽ nos offendiſſe nobis ſumus conſcij,impendẽtemq; nobis iram eius hoc pacto auertamus,anteuertamus iudicium,& impetremus miſericordiã:nos ipſos videlicet affligentes in ieiunijs, fletu,planctu,victu ac veſtitu, duris & aſperis,in cilicio,ſacco,cinere,atq; eiuſmodi:ſeu etiam hæc mortificationis veteris hoĩs, & ſanctificationis noſtræ, liberta-

bertatiſq́ ſpiritus cauſa peragimus: ſeu deniq́ quæ cunq́ proximo, ex pietatis affectu, impēdimus charitatis officia. Vniuerſa hæc Deo placere, etiamſi a Deo præcepta & exacta nō fuerint, ſed poſita in noſtro arbitrio, modo adſit in his oculus purus & ſimplex, ex quo æſtimātur hæc noſtra opera oīa, nunq̄ ab initio pijs omnibus (etiā priusq̄ e cruce orbi coruſcaret Chriſti euangeliū) dubitatū extitit: ſed velut naturæ quodā ſenſu intellectū: qui ſuis illū peccatis non prorſus obſcurarunt. Fuerunt equidem, & adhuc ſunt, ſed carnales plane & brutales hoīes, quos atheos verius & Epicuræos, q̄ Chriſti fideles dixeris, qui de his impie ſentiāt: ſed quæ publice aduerſus ea introducta ſit hęreſis, nominatim aliquem aſſertorem habens, ante natum Lutherū nulla legitur. Qui cum ſuis quam multiplices in his & pernicioſos, atq́ adeo palpabiles errores primus oīm introduxerit in eccleſiam, locis plæriſq́ explicatarum a nobis controuerſiarum euidentiſſime demonſtrauimus.

Ad quæ vniuerſa Bucerus ſtupenda plane diſſimulans impudentia, nec verbum habens q̊d queat, aut me viuo audeat contra hiſcere, ſola tamen impudenter aſſeuerandi temeritate & audacia, Lutheri

ſuorúmq́ue de his doctrinam pergit aſſerere, & efferre vt piam: & noſtram ex aduerſo calumniari vt falſam atq; impiam: Qua ego impudentia nihil cogitare poſſum impudentius: perinde quaſi ſtipites faciat omes homines: aut nullos legiſſe noſtra, ſibi aduerſus ſeipſum perſuadeat, vt quæ lecta pluribus, quam cupiat, & maiori fructu, quam velit, idē ipſe diſſimulare non potuit, quod ex prioribus potuiſti lector intelligere. Quemadmodum et ex his, q̄ nunc explicauimus, quā falſum idem, & quam alienum a concluſione, quam ſtabilire nitebatur, principium aſſumpſerit: vt ex quo diligenter excuſſo euidenter apparet, quas ille cauſas controuerſiarum introductarum in eccleſiam, quę item in religionem inuecta vitia conatur transferre in nos, ea vniuerſa excitata prodijſſe a Luthero & exculta a ſuis: tametſi & ab alijs eorum ſemina diuinæ ſementi callide ac diſſimulanter inſperſa ſunt, dum nō ſatis aduigilarunt, ſed ocio, torpori ac ſomno dediti fuerunt, quibus dominici agri cura & cultura commiſſa extitit.

Sed nunc, ad penſum vt recurrat oratio, demonſtrauimus euidēter falſum eſſe, quod ille primi principij loco aſſumit: de duobus illis, q̄ cōmemorat, capitibus,

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

pitibus,aut tribus potius,prauas opiniones graſſari inter homines,quotieſcunque eſt vitiata religio : imo nunq̃ de illis ipſis capitibus prauas opiniones,ac ſanæ fidei repugnantes errores publice receptos a quibuſuis in eccleſia,etiam quantumuis grauiter vulnerata vitiataque religione : niſi quos primi ipſi multiplices & pernicioſiſſimos,caputque omnis religionis tollentes, introduxerunt in eccleſiam. Feciſſe illos maxima parte,quæ ſunt,non inueniſſe religionis vitia : fuiſſe vitioſos & carnaliter viuentes plurimos, qui nunq̃ ab initio defuerunt eccleſiæ,ſed hi admonitionibus,correptionibus, & eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeueritate reducendi fuerant, atque etiam docendi, ſi quibuſdam etiam erroribus doctrinæ ſanæ aduerſantibus inuenti fuiſſent obnoxij. At cum illi vniuerſam eccleſiaſticæ diſciplinæ vim imprudentia ſua funditus ſuſtuliſſe a ſuis eccleſijs,vel inuiti cogantur agnoſcere, quam etiam in noſtris magna ex parte labefactaſſe eoſdem, re ipſa experti dolemus ex animo, quam ſint bene de eccleſia & religione meriti, nulli obſcurum eſt.

Si fuerunt quidã inter nos tam carnales & craſſi, qui ſine fide, ſine diuinæ offenſæ pœnitentia & pie-

pietate in Deum,in externa tantum illa operum fa-cie,quæ ad latriam proprie pertinent:ad hæc,in cor poris exercitatione,ieiunĳs,vigilĳs,vitæque auſteri-tate,quam ſibi vltro imponũt homines, vniuerſam ſalutis ponebant fiduciam,hi ad ſanam eccleſiæ do-ctrinam reuocandi fuerant: & docendi, hæc qui-dem Deo accepta & gratiſſima, quando procedũt ex fide & pio in Deum affectu, & amore(vnde no ſtra opera omnia,atq; adeo ipſa fides,vitalem ſuam energiam ſuſcipit, niſi mentiatur Iacobus Apoſto-lus.) Sed vbi abeſt ille, in cæteris operibus noſtris, etiam qualibuſcunque, fruſtra vllam ſpem ſalutis conſtitui.Ipſum eſſe amorem,qui nos Deo coniun git, & nos, noſtraque opera illi commendat, acce-ptaque facit: ad quem vſque in mortẽ nos perma-nere affirmat ille Euangeliſtarum coryphæus Ioan nes.De quo in controuerſia de Iuſtificatione homi-nis plenius pertractauimus: & adhuc poſt incidet locus proprius & neceſſarius.

Quod vero craſſiſſimus ille, & pene brutalium hominum error,vniuerſos eccleſiæ ordines occupa uerit,vſurpatum,temerarium,& falſiſſimum eſt de alienis ſeruis iudicium. Inter quos multi ſunt, qui

domino ſuo ſtant, & ſteterunt, quos iſte iniquiſſimo ſuo iudicio condemnat: omnium vitam odioſiſſime proſcindit: præcipue autem Romanos pontifices (quos ouilis ſui paſtores & rectores ipſe nobis Chriſtus pro ſe ſubſtituit) amarulentiſſimis cõuitijs flagellat: ne nusq̃ non prodant energian paracleti, qui per ipſos loquitur, & quod ad Chriſti ouile, hoc eſt, catholicam eccleſiam non pertineant. Sed ſuum ipſi portabunt iudicium.

Quod dicit, primum Eraſmum diuinitus inſpiratum, dictum errorẽ ſucceſſu & fructu aliquo cœpiſſe conuellere, mirandum ſane eſt, vt illũ hoc non pudeat. Nam cum dictus error nullum vnq̃ aſſertorem habuerit, nihil opus erat eundem accurate conuellere, ſed tantum ſanam de eo pietatis doctrinam, nemini ignoratam (qui ad eam aduertit mentis oculos) diligenter proponere vulgo carnalium hominum, & mentibus illorum ſedulo inſtillare.

Si docuit Eraſmus, quod de ipſo Bucerus affirmat, probari Deo non poſſe opera, niſi quæ iuxta præceptum eius eo ſpectent & valeant, vt proximo ad bene pieque viuendum per ea commodetur, vt

placra-

plæraque alia impie docuit: quemadmodum plæriſq; locis explicatarum a nobis controuerſiarum euidens fecimus. Nunquid diuinus ſpiritus non affirmat placuiſſe Deo Abelis oblationem & ſacrificium, quod illi de primogenitis gregis ſui & adipibus eorum obtulit? nunquid Dei vllum de eo præceptum proferent? nunquid eo ſpectauit ſacrificium illud, vt ad bene pieque viuendum commodaret proximo? nunquid Deo placuiſſe idem diuinus ſpiritus non affirmat, quod Noe poſt diluuium arcam egreſſus, ædificato altari, de pecoribus & volucribus mundis, quę ſecum arcam exierant, holocauſta obtulerit? nunquid eius ſacrificij et oblationis vllum Dei præceptum demõſtrabunt? nunquid etiam eo ſpectabat ille ſacrificans, vt ad bene pieq; viuendum commodaret proximo: & non potius, quẽadmodum & Abel ille, vt hoc ipſo externi cultus genere, Deo honorem impenderet? In Abrahã, Iſaac, & Iacob, de externis cultibus, quos Deo absq; vllo præcepto, absq; vllo ad proximũ reſpectu exhibuerunt, plæriſq; locis diuina ſcriptura cõmemorante, idem inuenies. Rechabitæ ſpeciale vitæ inſtitutum ſectabantur, ſeuerius præ cæteris ſui populi & expeditius, quo ſuæ peregrinationis

 mone-

monebantur, necꝗ hic ſe habere manentem ciuitatem, aut patriam, ſed futuram inquirere: quod Deo placuiſſe, idē ipſe per Prophetam atteſtatus eſt: nec tamen de eo vllum Dei præceptum acceperant: nec vt proximo per id commodaretur, idem illud vlla ratione pertinebat. Elias, Eliſæus, cæteriꝗ Prophetarum domini, nullo Dei præcepto adſtringebātur præ cæteris ad vitam cœlibem, & illam ſeueram ieiunijs & vigilijs, laboribus, veſtitu, cubitu, cæteroꝗ victu & habitu, duram atque aſperam, qua tamen ſingulariter præ cæteris illos placuiſſe Deo, vniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Nunquid ergo Deo probari non poſſunt opera, niſi quæ iuxta eius præceptum eo ſpectant & valeant, vt ad bene pieꝗ viuendum per ea commodetur proximo? Hæc præcepta non erant, ſed vltro aſſumpta: nec ad proximum reſpiciebāt, ſed ad mortificationem carnis & puritatem, ſanctificationemque ſpiritus, per quam diuinis illuſtrationibus ſe reddebant organa congrua. Et quid dicent de Præcurſore domini, cui in eremo ab ipſa pene infantia ſolitariam vitam viuenti, melota veſtibus: locuſta, mel ſylueſtre, & aqua, cibus potuſꝗ fuerant, & victu rigidiſſimo eiuſmodi indefeſſe ſe affligebat? Quid de primis illis monaſticę

&

& anachoriticæ vitæ patribus & cultoribus: quos ſeruens illa nobis produxit primitiua eccleſia? De Paulo? Anthonio? Paphnutio & ſimilibus? Quid de his, quorum Apoſtolus glorioſam atq; ardentiſſimam fidem nobis imitandam proponit: qui circuierunt in melotis & pellibus caprinis, errantes in ſolitudinibus, in montibus & ſpeluncis & cauernis terræ? Horum vitæ inſtitutum, ſi ad Eraſmi illud axioma exigas, Deo placere non potuit: ſi ad illud Buceri, quod præmiſimus, ambitioſe, imo & furioſe ſuperſtitioſi in eo ipſo etiam fuerũt, quod corpori condita, & conceſſa a Deo bona ſubtraxerunt vltra, quam eo conferebat, vt ſobria pietate, & pia ſobrietate nomen Dei ſanctificarent ad proximos. Quid deniq; de his dicturi ſunt, qui diuinæ maieſtatis oculos grauiter offendiſſe ſibi conſcij, et impendentem ob id eius iram metuentes, aut alioqui ſingulare aliquod a Deo implorantes auxilium, ad ieiunium, ſaccum, cilicium, et cinerem, orationes interpellatãs ſingultibus & lachrymis, in terram quoque proſtrati ſemper confugerunt? Ita ſæpe feciſſe Dauid, ita Ezechiam, ita Eſdram illum, cum a rege Perſarum acceptis mandatis & muneribus, cum captiuitatis reliquijs longo infeſtoque itinere profici-

ſcendum ſibi eſſet in Hieruſalem. Ita Hieroſolymitas, cum Nabuchodonoſor per Holofernem militię ſuę principē ipſis rurſus minitaretur ſeruitutem & exterminium, Ita Iudith, Eſter, Danielem, Machabæos, breuiter, pios omnes feciſſe ſemper, & nec ſine fructu, & impetrata a Deo miſericordia feciſſe, vniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Et quid illi Niniuitæ? Cum & rex et populus ſubuerſionem ciuitatis ſuæ audiſſent denunciari a Propheta, credētes quidem in dominum, & nihilominus de infinita eius benignitate non deſperantes, ad pœnitentiam conuerſi prædicauerunt ieiunium: & humiliati coram Deo in ſacco & cinere, & ſe mutuo excitantes ad implorandam eius miſericordiam: Quis ſcit (inquiunt) ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur a furore iræ ſuæ, & nō peribimus? Et quis obſecro hos docuerat his medijs placare Dei iracundiam: eius vindictam deprecari, & miſericordiam gratiamq; quærere? Nihil certe inuenies aliud, quam illam ab initio omnium Deo fidelium communem fidem, perſuaſionemq; publicam: ex qua ſemper pij omnes ad eundem finem aſſequendum, ad eadem quoque media confugerunt. Quid ergo de his dicturi ſunt? Certe ſecundum Eraſmi illud axioma, Deo

hæc

hæc eorum opera placere non poterãt: vt quæ præter eius præceptum vltro aſſumpta, non eo ſpectabant, vt proximo per ea commodaretur. Secundũ aduerſariorum vero doctrinam, quam in confeſſione ſuæ fidei atque eius apologia publice aſſerunt, atrociori etiam cenſura percelluntur. Neque enim ſolum ingrata Deo, & illis, qui ea fecerunt, inutilia, ſed etiam pernicioſa, impia, a dæmoniorum doctrinis introducta fuerunt: quia facta ad placandum Deum, ad eius impetrandam gratiam, promerendamque miſericordiam. Et quid diuina ſcriptura? Vidit, inquit, Deus opera eorum, quia cõuerſi ſunt a via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis. An hic non vides diuerſiſſimum Dei ab Eraſmo & Lutheranis iudicium? Vidit Deus opera illorum, quæ, qualiaq; audiſti: nempe quæ præter diuinum præceptum vltro ab illis aſſumpta, non eo ſpectabant, vt per ea cõmodarent proximo, ſed vt diuinam per ea placarent iram, & impetrarent miſericordiam. Quid tum deniq;? nunquid propterea deteſtatus eſt eos? minime omnium: ſed miſertus eſt eis, operum eorundẽ reſpectu ac intuitu. Et adhuc Bucere (vt te compellem) doctrina veſtra per omnia concordat cum diuina

uina ſcriptura, & catholicæ ab initio eccleſiæ, ſancto rumque omnium ſentētia, cum qua pugnet noſtra ex diametro? Poteſtne quicquam dici, cogitarique impudentius?

Lutherum ſucceſſiſſe Eraſmo, qui hoc molitus ſit ab initio, non vt duo illa capita Chriſtianæ doctrinæ (Qua nobis ratione cum Deo ſit redeūdum in gratiam, & quis illi ex nobis cultus placeat, & quæ grata opera) pura ac ſolida extarent in eccleſiis: ſed potius pernicioſiſſimis erroribus ſuis ea corrumperet, & in vniuerſa pene Chriſtianæ doctrinæ capita temerarias & ſacrilegas manus inijceret in locis, quos commemoraſti, in quæſtionibus omnibus & in explicandis, quæ inter nos & vos ſunt, controuerſijs, ipſa luce clarius fecimus: nec minus etiam hic euidens faciemus de omnibus, quorum hoc loco tractatio incidet. Non ergo, quas tu Bucere videri vis, eæ cauſæ ſunt, vnde, quæ nunc cernuntur religionis diſſidia, exorta, aucta, & vſq; nūc retenta ſunt, ſed quod vniuerſa pene religionis, & Chriſtianæ doctrinæ dogmata pernicioſiſſimis erroribus veſtris inſeritis. Et præterea (quod ipſi diffiteri non poteſtis) multa temere impudenterq; cō

mo-

mouentes, omni religione & ſacrorum reuerentia ſoluiſtis populum, atque illi perſuaſiſtis eccleſiaſticam diſciplinam omnem contemnere, partim ex illo, quod ſupra extuliſti, Eraſmiano axiomate: Nulla Deo placere poſſe noſtra opera; quæ non iuxta eius præceptum fiant, atq; eo pertineant, vt per ea cõmodetur proximo: partim ex veſtri euangelij, q̃ illi ſuperaddidiſtis, proprijs. In quo cum imprimis doceri cœptum eſt. Quicquid in diuinis ſcripturis non habetur, hoc plane additamẽtum eſſe ſatanæ. Deinde (quẽadmodũ adhuc habet decimus quintus veſtræ cõfeſſionis articulus) Quod humanę traditiones ad placandum Deum, ad promerendam eius gratiam, & ſatisfaciendum pro peccatis, aduerſentur euangelio & doctrinæ fidei. Quas traditiones humanas intelligatis, velut enumerando particulatim exprimitis, vota, inquam, monaſtica: conſtitutas viuendi leges & regulas, vel præſcriptas a ſuperioribus, vel quibus ſua ſe ſponte adſtringũt, quíbus ea cordi ſunt: præterea ciborum diſcrimina, & ieiunia, quæ præcipiuntur atq; obſeruantur in eccleſia: breuiter, quícquid a ſanctis patribus traditũ inſtitutumque eſt, eo pertinens & reſpiciens, vt abrenunciato mundo, ſupplãtata carne, cœleſtem vi-

G tam

tam in mortali carne meditarentur homines: & nos Iudæos facitis, qui his contradicentes, doctrinis dæmoniorum obruimus euangelium: nec minus catholicam Chriſti eccleſiam, quæ autoritatem Romani Pontificis agnoſcit & ſequitur, Antichriſti regnum, quod in his a vobis diſſentiat. Sed ſi eſt Antichriſti regnum, quæ in his diſſentit a vobis eccleſia, vbi ergo, & quæ catholica Chriſti eccleſia. Quam vniuerſam ab ipſo ſui initio, quanta fuit, eſt, & erit, diſſentire, ac diſſenſiſſe a vobis in his omnibus, in plæriſque explicatis a nobis controuerſijs, ipſa meridiana luce clarius fecimus. Quæ eſt ergo illa, quam perpetuo iactatis, catholica eccleſia, cuius ſententiæ & fidei, veſtra hæc concordat ſententia? An Abel, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Samuel, Dauid, Eſdras, Iudith, Heſter, Daniel, Machabæi, ille domini præcurſor Ioannes, illi admirabiles patres noſtri anachoriticæ vitæ primi cultores, illi glorioſi duces, & doctores noſtri, Dionyſius, Clemens, Origenes, Cyprianus, Baſilius, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, cæterique vniuerſi, quos eccleſia agnoſcit & celebrat. An, inquam, hi omnes membra non fuerint catholicæ, quam iactatis eccle-

eccleſiæ? aut nunquid forte diuerſa eorum fides fuit a catholicæ eccleſiæ fide & ſententia? Et hi omnes, quod obiter ſupra, copioſius autem alibi demonſtrauimus, non ſolum verbis, ſed re ipſa & vita, veſtram in prædictis omnibus condemnant ſententiam. Sed fingite qualemcunque volueritis eccleſiam, quæ ſit vobis catholica, an ſtantibus dictis principijs vllus ordo, vlla diſciplina, vllus magiſtratus, vllum officium, conſeruari, geri, adminiſtrarique poteſt in quacunque demum eccleſia? An cuiquam obſcurum eſt abſque diſciplina & cæteris, ſine quibus ea conſtare non poteſt, nullam ſubſiſtere vnitatem religionis & fidei in vlla ſocietate eccleſiaſtica? Nam eam vbi tollas, ibi videas omnia peſſum ire licentia: & contemptu pietatis & religionis in carnem & impietatem vniuerſa recidere. Quod vero conſtare hæc non poſſit, ſi tollas Hierarchiam eccleſiaſticam, aut Hierarchis ſuam autoritatem detrahas, ipſa rei euidentia conuicti fateri ipſi ſæpe cogimini. Atque illud, quod ſuis legibus & conſtitutionibus contineatur neceſſario: quibus ſua quæq; præſcribuntur moderanturque officia: vel certa quædam imperantur Chriſtifidelibus, quæ ad finem eccleſiaſti-

ſiaſticæ ſocietatis pertinent, & ad pietatem promo-
uent: vel denique ordo, decor, & honeſtas con-
ſeruantur in eccleſia.

Ad primum genus pertinent, quæ ad eccleſiaſti
cos ordines, magiſtratus, & publicæ diſciplinæ, ſa-
crorumque adminiſtrationes, eorumq́ functiones
pertinent. Secundi generis ſunt ieiunia quadrageſi
mæ, & aliorum non multorum dierum: et quibuſ-
dam per hebdomadas diebus interdictus eſus car-
nium: item certorum dierum ſabbatiſmus, ac ſolen
nis obſeruatio in diuino cultu, in verbi Dei ſtudio
atq́ audientia: pœnitentiæ atq́ euchariſtię præſcri
ptũ in Paſchate, & ſi quæ ſunt alia iſtiuſmodi. Ad
genus tertium pertinent cæremoniæ ſacræ, quas ab
ipſo eccleſiæ initio toto orbe Chriſtiano vſque nũc
obſeruatas cõſpicimus in ritibus certis, qui in diui-
no cultu et officio, in eccleſiaſticis ſacramẽtis tractã
dis, tradendis atq́ adminiſtrandis, cęteriſq́ ſymbo
lis ſacris, quæ vſitãtur in eccleſijs, ſunt. Quorũ vſum
vetuſtiſſimum eſſe et ab ipſis vſq́ Apoſtolorũ tem
poribus ad nos deſcendiſſe, & ſpũs ſancti magiſte
rio per Apoſtolos, Apoſtolicoſq́ viros traditũ, ali-
bi ex ſcriptoribus eorundẽ temporũ, Dionyſio, Po

licra-

licrate,Clemēte,Tertulliano,Origene,cæteriſq; ſub-ſequutis omnibus euidens fecimus. In quibus oībus, eccleſiæ filios viuere teneri ab antiquo, imo ab initio obſeruatis in eccleſiaſtica domo ritibus, con-ſuetudinibus & legibus,obedireq; conſtitutis ſibi a Deo præpoſitis, & magiſtratibus ſacris in Hierarchia eccleſiaſtica, vt alibi a nobis copioſe & accuratiſſime,nec vno loco demonſtratum eſt,ita(vt aliud ſtantes,aliud ſedentes quod dicitur) ipſa rei euidentia cōuicti,q̄uis contra ſuum ipſorū euangelium,ſua quæ audiſti principia, ſæpe fateri coguntur aduerſarij, vt Philippus in ſua Ariſtotelicorū Ethicorum epitome. Aeque & tu Bucere in paſtore tuo:nec minus ſæpe in hoc ipſo, quem nunc excutiendum deſumpſimus,libello.

De quibus hoc tamen maximopere mirandum mihi eſt,quod in doctrina veſtra vobiſcū vos non conſtare,ſed toties euidenter pugnare non aduertitis. Nam ſi eſt verum, quod eſt veriſſimum, & ipſi nobiſcum ſæpe confitemini,in eccleſiaſticarum conſtitutionum præuaricatiōe periclitari duas res momenti maximi in Chriſti eccleſia: diſciplinam nempe, & tranquillitatem harmoniamque ſtatus publici. Si diſciplinæ cauſa (quod æque ipſa rei euiden-

tia conuicti fatemini)opus eſt certis legibus,ordinationibus, cæremonijs quoq; & ritibus, quibus velut pædagogia quadam contineantur,exerceanturque ſimplices:imo ſi(quod & ipſum non diffitemini) ratio exigit,rei euidentia requirit,euangelium iubet,vt eiuſmodi pædagogia exerceantur homines: & æque,ſi tranquillitas,vnitas,& harmonia eccleſiæ pendent ex ordine & conſenſu publicorũ rituum, qui vt conciliat & conſociat homines, ita confuſio ordinis,& diſcrepantia rituum diſtrahit animos & ingentes tumultus,æternaq; bella parit. Si,inquam, hæc ita ſe habeant,vt habent veriſſime,etiam vobis ingenue confitentibus,primum cõſiderate obſecro, quis veſtræ doctrinæ cõſenſus ſit,& quomodo iſta quadrent cum veſtro euangelio, atq; illis eius, quæ commemorauimus,velut primis principijs: & deinde quam ſitis bene meriti de Chriſti eccleſia.

Quæ incõmoda inuexerit Lutherus cum ſuis: & vñ hæc in religione diſſidia.

Anteq̃ prodiret nouum illud veſtrum euangelium,religionis & fidei publicorumque rituum, magnus conſenſus erat in eccleſia: conſtitutionesq; eccleſiaſticæ religioſe obſeruabãtur a Chriſtifidelibus omnibus : agnoſcebaturque eccleſiaſticæ Hierarchiæ,& Hierarchis eius ſua autoritas: per quam vigebat

gebat adhuc qualiſcunque diſciplina eccleſiæ: & reuerentia mœtuque ſupremæ autoritatis in eadem præſidis, tam ſacri quam profani magiſtratus continebantur in officio: nempe in quos delinquentes, corrigendos, atq; etiam vbi id exceſſus grauitas & exempli pernicies requirebat, amouēdos magiſtratu & officio, conſtante ac vigente religionis vnitate, eius valebat autoritas. At poſtquam nouæ eius fidei veſtræ, nouique euangelij doctrina in orbem inuecta eſt, poſtquam doceri cœpit, eſſe additamentum ſatanæ, quicquid in diuinis ſcripturis non habetur, aduerſari euangelio Chriſti & doctrinæ fidei, quicquid præceptum ab eccleſia aut ſuperioribus, ſine expreſſo de hoc Dei præcepto facimus, ſi ad placandum Deum, ad eius gratiam promerendam, expiandaque peccata noſtra id ipſum valere, perſuaſi facimus. Poſtquam noua hæc dogmata veſtra inuecta ſunt, primum omnium, omnes leges, & conſtitutiones eccleſiaſticæ, ac pontificiæ ſunt ſublatæ e medio, vt mera figmenta, mendacia atque additamenta ſatanæ: & eccleſiaſtici canones, iuſque pontificium, ex veſtri illius Apoſtoli & Euangeliſtæ autoritate, in deriſionem & contumeliam, publico damnatum incendio.

Sacer-

Sacerdotium, quale ſolum eatenus nouerat Chriſti eccleſia, epiſcopali miniſterio, ritu a maioribus accepto, tradito, & toto orbe obſeruato ab initio (quod controuerſia decima euidens fecimus) eadem autoritate pronunciatum eſt idolum eſſe, & figmentum ignorantium hominum. Miſſas, in quibus Deo offertur illa ſacroſancta oblatio corporis & ſanguinis Chriſti in euchariſtia, quemadmodum maximo conſenſu, quanta quanta eſt, ab initio feciſſe vniuerſam Chriſti eccleſiam controuerſia quinta demonſtrauimus, docere cœpiſtis eſſe ſummam impietatem & idololatriam. Obliteraſtis tot ſæculis vnanimi conſenſu obſeruatum in hac Occidentis & Latina eccleſia publicum ritum ac formam celebrandæ miſſæ, atque eius etiam canonem, quod ſacrificij & diuorum mentionem faceret: & pro eis ſtatuiſtis parum ſana Lutheri veſtri ſomnia. Idololatras pronunciaſtis nos vniuerſos, qui maiorum, & vniuerſæ ab initio eccleſiæ ritu (quod decima tertia controuerſia euidens fecimus) diuos coleremus iam regnantes cum Chriſto, eos inuocaremus in neceſſitatibus noſtris, atque eorum imploraremus apud Deum ſuffragia: quod cum veneratione eorundem haberemus reliquias: eoſdem honoraremus

raremus

raremus poſitis ſtatuis, imaginibus, picturis: imo quod Chriſtum adoraremus, quamuis vere nobis præſentem in euchariſtia. Exibilatū, proſcriptum, & anathematizatum eſt per vos, quicquid eatenus ſine ſcripto, velut ex Apoſtolica traditione, omnibus ſæculis, toto orbe ſeruauit Chriſti eccleſia: nempe ritus vniuerſus benedictionum & conſecrationum eccleſiaſticarū: in chriſmate, in oleo ſacro, in ſacro fonte, in aqua luſtrali, in cereis, in locis, templis, altaribus, veſtibus, vaſis diuino cultui mancipatis, breuiter quicquid eſt ſacrorum rituum, quicquid cæremoniarū in tractandis, tradendiſq; ſacramētis eccleſiaſticis, quo ita ſacrorum omninm reuerētiam detraheretis populo. Vniuerſam diuini cultus, qui in templis peragitur, & eatenus toto orbe ſumma cū religione, pietate, ac deuotione Chriſtifidelium peractus eſt, illam exteriorem faciem, impietatem, Antichriſti laruas ac faciem pronunciaſtis, præſertim ſi exiſtimetur ad pietatem conducere: perſuaſiſtiſq; & inculcaſtis hominibus, & ſuſtuliſtis e veſtris eccleſijs. Aboleuiſtis feſtiuitates publicas, quibus vel redemptionis noſtræ myſteria, vel glorioſos ſanctorum patrum noſtrorum de hoc mūdo triumphos recurrente per annum celebritate recolimus. Aboleuiſtis

leuiſtis ieiunia,tum alia,tum quadrageſimę, quæ ab ipſis vſque Apoſtolorum temporibus toto orbe tota obſeruauit eccleſia. Et,quem eadem induxit,ciborum delectum etiam ſuſtuliſtis e medio,et cum alijs plæriſque diebus vos magis iuuet piſcibus quam carnibus veſci, quibus diebus illis interdixit eccleſia,iiſdem veſcimini,velut in contemptum eccleſiæ. Cum multis ante ſæculis in pace egiſſet Occidentis hæc & Latina eccleſia, & vt in cæteris, quæ ad religionem pertinent omnibus,ita & in ſacramēto euchariſtiæ eundem ritum ſeruaret,ſub panis tantum ſpecie communicandi populum, impugnari hoc per nouitatum captores & ſtudioſos quoſdam in Boemia, Ioannem de Huſs, & Hieronymum Prageñ.ante annos ducentos cœptum eſt, qui damnato ritu vſitato eatenus,velut Chriſti euangelio contrario,neceſſitatem communionis vtriuſque ſpeciei introduxerunt: quanta illius regni ante florentiſſimi clade, confuſione, deformatione, deuaſtatione, quot milium hominum cæde, res ipſa adhuc hodie loquitur.

Sed cum malum hoc iãdudum intra limites vnius illius regni,velut conſopitum quieſceret,per vos

rurſus excitatum in vniuerſam Germaniam introduci cœpit. Cum tota ab initio ad nos vſq; Chriſti eccleſia, ab ipſis nimirum Apoſtolis hoc receperit, ne ſacerdotes, & altaris miniſtri ſeu diaconi nuberent, tametſi ante mariti, vnius tamen vxoris, quam virginem accepiſſent, admitterentur ad ſacerdotiū & altaris miniſterium: nec vlla ſit, aut vnquā fuerit Chriſtianæ profeſſionis natio, vbi admiſſum ſit, velut legittimum, ſacerdotum cōiugium, quod etiam Apoſtolicis canonibus, ſynodorum, tam in Orientali, q̄ Occidentali, Africana quoq; eccleſijs celebratarum, eccleſiaſticisq; antiquiſſimis decretis diſtrictiſſime interdictū ſemper fuit & inhibitum, quemadmodum xv. controuerſia euidentiſſimum fecimus. Vos contra, ſacerdotes veſtros vultis nubere: non ſemel tantum, ſed decies, ſi ita res tulerit: etiam cum quibuslibet, cum vidua, cum vili deniq; ſcorto: nec ſacerdotes tantum & diaconos, ſed etiā monachos & monachas, q ſemetipſos, voto Deo præſtito, ſponte caſtrarunt propter regnum Dei. Quibus iuxta certiſſimam diuinæ ſcripturæ & conſonam orthodoxorum ab initio patrum omnium & catholicæ eccleſiæ ſententiam, nō ſolum nubere, ſed & velle nubere damnabile eſt.

Hæ ſunt Bucere, non quas tu cõmemoraſti,cauſæ diſſidiorum,quæ in religionem inducta,adhuc magna totius eccleſiæ confuſione, infinito plurimorum ſcandalo perſeuerant. Quæ per vos,non per nos introducta ſunt,quantumuis tu contra,compoſitæ orationis artificio,fumis,ac inuolucris hæc obſcurare niteris,& fruſtra transformare in cõtrarium. Nã ante doctrinam noui huius euangelij veſtri, nulla de his in vniuerſa Chriſti eccleſia controuerſia extitit,ſed fidei,obſeruationis & rituum vnitas. Hoc credebamus & tenebamus omnes,quod multis retro ſæculis velut per manus traditum a patribus in filios & ad nos trãſmiſſum accepimus, didicimusque in catholica eccleſia. Idem & vos tenebatis, credebatis, & obſeruabatis nobiſcum in dictis omnibus,in quibus hæc nunc induxiſtis diſſidia. Quod eatenus vnius nobiſcum ſocietatis, eccleſiaſticæ, inquam, familiæ & Chriſti corporis membra fueritis, ire non poteſtis inficias. Eadem quippe fide, ijſdem legibus & ritibus publicis nobiſcum conuerſantes in domo eccleſiaſtica, ſub vnius rectoris & paſtoris eius nobis conſtituti a CHRISTO obedientia. Quod igitur veſtra vos autoritate ſeceſſionem feceritis a reliquo corpore,quod

eatenus

eatenus vna, & communia partiri, imo deſtruere & obliterare conati eſtis, quod omnia vſitata, recepta, vetera antiquare, noua introducere: idq; veſtra ipſorum, hoc eſt, priuatorum, iuuenum, imperitorumq;(quod ipſi vos non diffitemini) obſcurorũque hominum autoritate, quibus non præeſſe, ſed ſubeſſe rectoribus eccleſiæ: non illos regere, ſed regi ab eiſdem, a Chriſto mandatum eſt: quis non intelligit factum impudenter, temerarie, iniuſte ac ſeditioſiſſime?

Hoc te quæſo Bucere, vt perpendas diligenter, ſi vnius alicuius magnæ, et inſignis ciuitatis pars nõnulla priuatorum & obſcurorum hominum (& quæ reliquæ comparata, vix vllum numerum conſtitueret, imo quæ indigna eſſet, quæ compararetur cum reliqua) quod ſibi quædam diſplicerent in vſitatis legibus, magiſtratibus & adminiſtratione publica, initis inter ſe coniurationibus, publica ſibi appropriare conarẽtur, communia partiri, aliena inuadere, & ſuo diſpenſare arbitrio, receptas leges antiquare, nouas introducere, nouare, confundere, ſurſum, deorſumq; miſcere omnia, nunquid dubitarẽt magiſtratus, hos illos, vt perniciem publicam coercere, opprimere, & in ijs exemplum edere ſeditio-

ſis cæteris? Et ſi illi, vel negligerent, vel etiam proderent ſalutem publicam, an ignorarēt ciues boni cæteri, in iſtiuſmodi caſu ſui quid foret officij? Quid igitur, vbi in ipſo Chriſti regno, in ipſa domo Dei viuentis, hæc a vobis facta eſſe, & adhuc fieri conſpicimus? nunquid obſcurum eſt, qui in ea magiſtratum gerunt, qui ex Dei ordinatione gladium portāt, quid ipſorum hac in re ſit officij, etiam quicquid contra videri velitis vos? Qui ſi ad hæc conniueant, imo ſi qui eorum, priuatæ cuiuſdam rei ſuæ, ſui affectus, aut odij in quemquam cauſa, quia alteri id malum præſentius iudicant, & plus incommodaturum exiſtimant, gliſcere magis, quam opprimi hanc perniciem publicam cupiant, & clam oleum camino inijciant, an hi ſuo officio ſatisfaciunt? nunquid indigni hi forent, qui amouerentur magiſtratu? imo qui vna exterminarentur cum peſte & pernicie publica eiuſmodi? Si in eccleſiaſticarum conſtitutionum præuaricatione periclitantur res duæ momenti maximi in eccleſia, ipſa nempe diſciplina publica, & tranquillitas harmoniaque ſtatus publici (quod aperte agnoſcit & ingenue confitetur Philippus, nec minus tu, vbi ex animo loqueris) neceſſe eſt ex eorundem contemptu,

imo

imo abolitione, plane tolli abolerique diſciplinam publicam, & tranquillitatem, harmoniamq; ſtatus publici ab eccleſia. Quod cum vos veſtra illa, quam præmiſimus, doctrina palã conati eſtis, nec adhuc ceſſatis facere: veſtro vtiq; ipſoꝝ iudicio ac ſententia conſtringimini. Si diſciplinæ cauſa, etiam ipſis vobis confitentibus, certis legibus, et ordinatiõibus opus eſt, cæremonijs quoq; et ritibus, quibus velut pędagogia quadã contineantur exerceanturq; ſimplices, imo ſi ratio requirit, ipſa rei euidentia exigit, euangeliũ iubet, vt eiuſmodi pædagogia exerceantur, regantur, doceantur Chriſtifideles: quẽ diſciplinæ locũ reliquerunt in eccleſia, qui docuerunt eccleſiaſticas leges et ordinationes, eſſe mera figmenta et mẽdacia? eſſe traditiones hominũ, qbus nemo obligari poſſit corã Deo, et quas doctrinas dæmonioꝝ appellarit Apoſtolus? Qui cæremonias vniuerſas, et ritus ſacros deriſerunt, exploſerunt, & exibilarũt ab eccleſia, et nouos introduxerunt, quiſq; pro ſuo arbitrio? Si veꝝ eſt Philippe (vt & te quoq; cõpellem) q̊d dicis loco memorato, vt ſane eſt veriſſimũ, ex contemptu dictoꝝ conſequi in populo contemptum religionis, et Hierarchiæ eccleſiaſticæ, quod ipſam teſtari affirmas, quã oẽs cernimus, rei euiden

tiam

tiã:ſi non poſſunt ad timorẽ Dei inſtitui homines, vbi pædagogia,ordo,diſciplina nõ eſt: ſed his ſublatis neceſſe ſit ſequi infinitam vaſtitatem & barbariem:ſi recte admones, vt quiſq; conſideret,quã immenſum ſcelus ſit,iſtiuſmodi vaſtitatis exẽpla præbere & autorem ſe facere: quantum deniq; mali ſit in altera ſcandali parte, quo tranquillitas & ſtatus publicus turbatur eccleſiæ: quem in ordine publico, & magiſtratibus ſacris, vt tot ſæculis durauit hactenus, ſub vno præſide ſuperintendente omnibus, conſiſtere per ſe eſt notorium: miror quod te, tuam,tuorumque doctrinam, quam adhuc mordicus aſſeris,adhæc veriſſime abs te dicta,et per ſe euidentia,ſerio expendens atq; excutiens, tuam ipſius conſcientiam ferre poſſis.Si eſt quod dicis,& veriſſime dicis,ordine & harmonia publicorũ rituum, conciliari in vnum, conſociarique homines: ſi contra, confuſione ordinis, & diſcrepantia rituum, diſtrahi animos, & ingentes tumultus, æternaq; bella generari:& proinde,ne præbeamus cauſam tantis malis,vt ſumma cura obſeruemus,etiam qualeſcunque ritus publicos, recte conſulis: vtinam ipſi tibi, Luthero,tuiſque, conſuluiſſes & adhuc conſuleres rectius: vtinam præſtitiſſetis quæ conſulis:

nempe ſymbolum eccleſiæ, obedientiam veſtram, diligentiam, ſtudium, pro conſeruando eius ordine, diſciplina, tranquillitate, ſaluteque publica: & nõ contra potius confuſis ordinibus, introductaq; in eccleſiam nouitate rituum ac diſcrepantia, pugnis, tumultibus, bellis (quod res ipſa loquitur) cauſam inexhauſtam præſtitiſſetis. Quæ, quem nobis adhuc funeſtiorem multo, peioremque exitum minitentur, ipſi vos, quamuis ſero, intelligitis.

Vtcunque tamen iſta ſe habeant, quæcunque vos Erynnis aduerſus intellectam euidenter a vobis veritatem tam pertinaciter armauit in publicã perniciem eccleſiæ, quæ iſta eſt impudentia tua Bucere, vt hæc tam euidentia, tua tam elanguida, nec vllis neruis conſtante oratione ſperes obſcurari poſſe? quid dico? imo trãsformare in contrarium: atq; atrum candidum, tenebras lucem facere, idque vna, ſolaque aſſeuerandi audacia atque impudentia, quæ vna vobis perpetuo eſt pro locis dialecticis omnibus? An ex his cuiquam obſcurum eſt, vnde, quæ adhuc cernimus diſſidia, introducta ſunt in religionem & eccleſiam? Qua deniq; fronte audes toties inculcare, vos nihil, quam catholicum eccleſiæ

conſenſum in omnibus ſtudioſe ſequi, & quam vos profitemini, doctrinæ Chriſti repurgationem, & diſciplinæ correctionem molimini, vt cum ſcripturis Dei, ita etiam cum vetere vere Apoſtolica eccleſia, & conſenſu filiorum Dei, perpetuo omnino conguere: nos vero cum eodem conſenſu, conculcatione totius eccleſiaſticæ diſciplinæ, peruerſa doctrina, & ſacramentorum adminiſtratione penitus pugnare? Si ad catholicam eccleſiam nõ pertinuerũt, quos nõ multo ante cõmemorauimus, Abel, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob & cæteri, quos & illius veteris, & noſtræ Chriſtianæ eccleſiæ præcipua membra, & velut columnas quaſdã fuiſſe indubitatum eſt, ſi filij Dei hi non fuerunt, iactate vos in omnibus, ſtudioſe & perpetuo ſequi cõſenſum filiorum Dei, & catholicæ eccleſiæ. Nam cum illis omnibus, atque omnium omnino piorum ab initio conſenſu, veſtram doctrinam ex diametro pugnare, & ſupra, & alibi euidentiſſimum fecimus, nec minus euidens erit in ſequentibus.

Quæ eſt igitur catholica illa, quam ſomniatis & iactatis, eccleſia, cum qua pugnet noſtra doctrina, veſtra autem conſentiat per omnia? Hoc ante

te

te omnia certum atque indubitatum eſt, quemad-modum omnes eccleſiæ veteris illius populi poſt Moſen, profeſſione fidei & religionis per tempora ſibi inuicem ſuccedentes conuenerunt inter ſe, & illi perpetuo vnitæ ſociabantur, in qua permanebat Moſi cathedra: illam ſupremam & matricem omnium agnoſcebant: ad illam confugiebant, etiam cum iam ſparſim in toto orbe, in Aegypto, Oriente, Occidente, Septentrione multis milibus congregati habitarent: Ita iam omnes poſt Chriſtum eccleſias conſociari, & conſpirare oportere cum ea, quam idem ipſe Chriſtus ouile ſuum, & regnum ſuum toties affirmauit. In qua Petrum paſtorem ouium ſuarum poſuit, cui regni illius ſui claues, hoc eſt, regendi gubernandique eius autoritatem dedit: & poteſtatem alligandi præceptionum ſuarum vinculis omnes, qui in eo ſunt, & alligata reſoluendi pro vtilitate eorum, qui eius regimini commiſſi ſunt, qui vniuerſi ſunt, qui inter oues CHRISTI cenſeri volunt. Paſce, inquit, regeque oues meas, & agnos meos. Qui ex Chriſti ouibus agniſque non ſe eſſe agnoſcunt, hi Petri ſe negent commiſſos curæ & regimini. Nec ad vnius Petri perſonam hæc pertinuiſſe & perti-

nere, ſed æque ad omnes, qui vicaria illi ordinatiõe ſuccedunt, vniuerſi ab initio ſancti patres noſtri intellexerunt & confeſſi ſunt. Ad hanc eccleſiam, Romanam videlicet, in qua beati Petri eſt cathedra, propter potentiorem eius principalitatem (vt beatiſſimi Irenæi verbis dicam) neceſſe eſt omnes conuenire eccleſias, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles. In qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt traditio ea, quæ eſt ab Apoſtolis. Sed tribus poſterioribus de Hierarchia eccleſiaſtica libris noſtris, hæc prolixius ex omnium ab initio ſanctorum patrum conſenſu euidentiſſime demõſtrauimus. Nec eſt, quod Petri in ijs omnibus, qui eius cathedræ præſident, ſanctitatem requiramus. Nam quod ad eccleſiæ ſuæ miniſterium & vtilitatem pertinet, CHRISTVS neceſſarijs illos functionibus non deſtituit: etiam qualicunque alioqui vita fuerint. Proinde, vt præſidibus Moſaicæ cathedræ, quamuis malis, æque obedientiam deberi a ſuis, ipſe Chriſtus docuit, quod ſacerdotio & cathedræ præeſſent; ita æque atque eo magis, nobis faciendum eſſe dubitari omnino non poteſt, quanto eſt dignior ſua figura veritas, & corpus ipſum, quam eius vmbra quædam ac deliniatio:

præſertim cũ nobis de illis iudicare permiſſum non ſit,quorꝫ ipſos nos Chriſtus ſubiecit iudicio,qui eos ſolos,ita hoc requirente neceſſaria eccleſiaſticæ Hierarchiæ forma, ſuo reſeruauit iudicio. Quis es (inquit ille beatiſſimus Cyprianus) noli diſcutere paſtorem, ne eius quoq; criminis reus tenearis: noli te iudicem Dei conſtituere & Chriſti. Ad quem pertinet & honor & cõtumelia,qui cõſtitutis in regno ſuo magiſtratibus eo exhibetur nomine. Qui vos audit,inquit,me audit,et qui vos ſpernit,me ſpernit. Id quod dixit,non ad vitæ meritum, ſed ad magiſtratum,& neceſſarium officium,quod eius ordinatione & cõmiſſione gerunt in Hierarchia eccleſiaſtica,reſpiciens. Vnde eñ (vt eiuſdem illius ſanctiſſimi Cypriani verbis iterum loquar) hæreſes & ſchiſmata oborta ſunt et oriuntur,niſi dum Epiſcopus, qui vnus eſt,& eccleſiæ præeſt,ſuperba quorũdam præſumptione contẽnitur:& homo Dei dignatione honoratus,ab indignis hominibus iudicať. Semper iniqua,& temerarie præſumpta,frequenter etiã iniuſta falſaq; ſunt, noſtra de rectorꝫ paſtorumque noſtrorum factis iudicia: frequẽter illis affingimus, quod re vera non eſt: frequenter de factis eorꝫ iniquiſſime iudicamus,& quæ neceſſario cõſilio facta

 ſunt,

ſunt,nos ea interpretamur facta aliter. Proinde hāc noſtram arrogantem contumaciam cōpeſcere volens Chriſtus: Super cathedram, inquit, Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi, omnia ergo, quæcunque vobis dixerint,ſeruate & facite. Ergo,inquit,ſeruate & facite,quia ſedent ſuper cathedram: non quia viri ſancti ſunt,vt quorum vitia & peccata multa taxauerat. Dicunt enim,inquit,& non faciunt. Quorum ſimilis ſi & noſtrorum aliqui ſint ſummi paſtores & cathedræ præſides,ad te nihil pertinet. Habent iudicium ſuum, ſed tuo iudicio ſubiecti non ſunt: dño ſuo ſtant aut cadunt, illi diſtrictiſſimam rationem reddituri de omnibus. Quin, & diuinus ſpiritus per Moſen etiam mortis pœnam conſtituit aduerſus eos, qui imperio ſacerdotis cathedræ præſidis obedire contemnerent: ſimul clare ſubindicans, contemptum eiuſmodi pertinere ad malum & perniciem totius eccleſiæ. Nec ea in re diſtinxit malos præſides a bonis, ſed conſtituto a ſe ſacroſancto magiſtratui ſuum honorem, neceſſariamque eccleſiæ autoritatem aſſeruit. Quo igitur iure vos, eccleſiaſque veſtras referre poteſtis in ſocietatem, communionemque catholicæ Chriſti eccleſiæ, qui a cathedra Petri diuiſi, eandem oppugnatis

gnatis pluſquam capitaliter & hoſtiliter? Quin & hoc mihi reſpondeas: Certum eſt in primis, catholicam Chriſti eccleſiam eandem eſſe & Apoſtolicam, vt habet Nicenæ fidei confeſſio, a Chriſto per Apoſtolos in omnes gentes, ad fines vſque orbis & ſæculi, continuæ ſucceſſionis ſuæ palmites extendentem. Eæ ergo ſolæ eccleſiæ gloriari poſſunt de communione, & ſocietate catholicæ eccleſiæ, quæ continuæ ſucceſſionis ſerie in Apoſtolos & Chriſtum, ſuæ inſtitutionis originem referre poſſunt, & ab ijſdem, Epiſcopatus & ſacerdotij ſui inſtitutionem acceperunt: modo reliquæ catholicæ per orbem eccleſiæ in doctrina fidei conſentiant, & principali cathedræ ſuam autoritatem recognoſcant.

Sed hæc poſteriora iã hic non vrgebimus: ſed tm̃ qua continua ſucceſſionis ſerie, veſtras eccleſias, veſtrum Epiſcopatum & ſacerdotium, ordinatione legittima referre poſſitis ad Apoſtolos & Chriſtũ, nunc excutiendũ eſt. Hæc eſt em̃ certiſſima & concors ſanctorũ patrum omnium ſententia, apud illos ſolos quærẽdam veram Chriſti eccleſiã, vbi Epiſcopi ſibi ſuccedentes, ordinatione legitima ſucceſſionis

nis illius ſuæ continuitatem ad Apoſtolos vſque & Chriſtum referunt. Ita glorioſus ille Chriſti martyr & Pontifex Irenæus libro quarto aduerſus Valentini, ſuorumque hæreſes, ijs ſolis presbyteris, ſacerdotibus et Epiſcopis obediendum docet in eccleſijs, qui ſui ſacerdotij originē & ſucceſſionē trahūt ab Apoſtolis. Reliquas aūt cōgregationes abſiſtentes a ſucceſſione eiuſmodi, habēdas tanq̄ hæreticas & ſchiſmaticas. Idem docet Tertullianus libro de Hæreticorum præſcript. Et propterea, per ſingulas pene eccleſias diſcurrens, primum in vna qualibet Epiſcopum oſtendit, aut fuiſſe Apoſtolū, aut conſtitutum ab Apoſtolis, eorū ve ſucceſſoribus. Eum vero, qui nemini ſuccedens, nemine ex his, qui ad Apoſtolos ſui Epiſcopatus ſucceſſionem continuam refert, legittima ordinatione Epiſcopatum dante, Epiſcopale ſibi vſurpat officium, non poſſe eſſe membrum eccleſiæ, quantumlibet ſub ſe congreget multitudinem aliquam populi: etiam ſi Dei euangelia, ſcripturas Apoſtolicas et canonicas, intemeratam fidem, & charitatis vinculum ſe dicat ſeruare cum cæteris eccleſijs. Diuus Cyprianus idem pluribus locis aſſerit, eos docens eſſe ſchiſmaticos, qui ſine vlla ordinationis lege, et nemine, cui id competit, Epiſcopatum dante,

dante, Epiſcoporum ſibi nomen aſſumunt. Quod ipſum clariſſimis verbis D. Auguſtinus inculcat: Extra eccleſiam, inquit, ſunt, qui relicto Epiſcopo, Dei ordinatione ſuccedanea præcedente, aut ſibimetipſis, aut ſemetipſos conſtituunt præpoſitos, primates, & Epiſcopos. Quin ille ſanctus Cyprianus, eccleſiæ vnitatem ibi eſſe docet, vbi Epiſcopatus vnus eſt: ibi vnum Epiſcopatum eſſe, vbi ab vnitate proficiſcitur: vbi Epiſcopi legittima ſibi ordinatione continuo ſuccedunt a Chriſto per Apoſtolos, ſucceſſoresq; eorum vſq; ad nos. Proinde in epiſtola ad Magnum: Eccleſia, inquit, vna eſt apud Cornelium Romanæ eccleſiæ Pontificem, qui Epiſcopo Fabiano legittima ordinatione ſucceſſit. Apud Nouatianum eccleſia eſſe non poteſt, qui Apoſtolica ordinatione contēpta, nemini ſuccedens a ſemetipſo ordinatus eſt.

Hic te rurſus quæſo Bucere, mihi pro te, tuiſq; vt reſpondeas, quo iure, vos, eccleſiaſq; veſtras referre poſſitis in cōmunionem, ſocietatemque eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ Chriſti: ad quam non pertinere, qui ſacerdotij, & Epiſcopatus ſui originem legittima ordinationis legē, & continuæ ſucceſſionis

ſerie, ad Apoſtolos & Chriſtum non referunt, ex eiuſmodi catholicæ eccleſiæ, & orthodoxorꝫ patrũ certa & conſona iam intellexiſti ſententia. Nunqd veſtrum ſacerdotium, veſter Epiſcopatus, legittima ordinationis lege impenditur? nunquid hos ipſos continua ſucceſſionis ſerie referre poteſtis in Chriſtum per Apoſtolos, ſucceſſoresque eorundem? Duo hic ſunt, quæ vobis in cõtrouerſiam veniunt: Primum, an ſit vobis ordinatio ſacerdotij & Epiſcopatus legittima. Secundum, an ſacerdotes et Epiſcopi veſtri, cõtinua ſucceſſionis ſerie, velut per manus, ſuam autoritatem acceperũt ab Apoſtolis. Quorum vtrunqꝫ neceſſariũ eſt eccleſijs, quæ prætendunt communionem ſocietatemqꝫ cum eccleſia catholica.

Nobis, Epiſcopatus, ſacerdotij & diaconij ordinatio legittima eſt, quam in illo veteri populo deliniatam, expreſſamqꝫ a diuino ſpũ, in vniuerſa Chriſti eccleſia ab ipſo ſui initio, ex Apoſtolica traditiõe, vſitatum videmus: quæ eadẽ perſeuerat vſqꝫ ad nos, vt eſt deſcripta explicataqꝫ ab illis Apoſtolorꝫ diſcipulis, & proximis ſucceſſoribus, a Dionyſio ca. iiij. et v. par. i. Hierarchię eccleſiaſticæ: a beatiſſ. Clemẽte in epiſtola ad vniuerſos totius eccleſiæ Epiſcopos,

&

& ordines eccleſiaſticos. Ab illo quoq; beatiſſimo Anacleto æque Petri diſcipulo & in cathedra ſucceſſore, in epiſtola ad vniuerſos Epiſcopos per Italiam. Quibus conſona ſcribunt Tertullianus lib. de carnis reſurrectione, beatiſſ. Cyprianus lib. de vnctione chryſmatis, breuiter cui ordinationis ritus, venerabilis ille chorus ſanctorum patrũ omnium, ipſa rei euidentia, & totius orbis conſenſus, & concors obſeruatio, ſubſcribit: tum vmbra & figura veteris illius tabernaculi, atq; eius ſacerdotij, ſuo corpori ſolidæque veritati adſtipulatur: nempe quæ cum certo conſecrationis ritu, cum ſacri chryſmatis inunctione, certiſq; ſymbolis & verbis ſacerdotalem poteſtatem exprimentibus, ab Epiſcopo ſimiliter legittime ordinato, & qui continua ſucceſſionis ſerie, velut per manus, autoritatem ſuam accepit a Chriſto per Apoſtolos, eorumve ſucceſſores: quemadmodum cap. iij. lib. ij. de Hierarchia eccleſiaſtica, & controuerſia vndecima copioſius demonſtrauimus. Vobis illud ipſum ſacerdotiũ noſtrum, quod tali vſitatæ ab initio ordinationis ritu impenditur, nihil eſt, quam merum figmentum ignorantium hominum, nec de ſacramento, nec de re eccleſiaſtica quicquam intelligen-

tum: imo nullam eſſe autore Chriſto in eccleſia dignitatis autoritatisq; imparitatem aut differẽtiam: Chriſtianos omnes eandem a Chriſto poteſtatem habere: omnes in eodem gradu conſiſtere: omnes æque ſacerdotes eſſe, ſanctificatos in Chriſto Chriſtianos. At quibus a magiſtratu, aut populo committitur prædicandi verbi, & adminiſtrandorum ſacramentorum miniſterium, ijs demum communi ea poteſtate præ alijs vti licere, quam diu ea durat miniſterij commiſſio: ſacrum chryſma, quod teleten, hoc eſt, ſanctificationem & perfectionem a ſanctis ſacerdotalis noſtræ functionis ducibus, hoc eſt, Apoſtolis, ab ipſo rei effectu, qui in eo perficitur, ſanctus ille Dionyſius nominatum affirmat. In quo (vt beatiſſimi illius Cypriani hoc verbis dicam) gratia ſacerdotalis dignitatis, autoritatiſque confertur, & ſine quo (vt Diuus Hieronymus loquitur) nec presbyter, nec diaconus, ius habent baptizandi, aut vlla ſacramenta conferendi: Veſter illius euangelij Apoſtolus rancidum oleum per contemptum & ludibrium appellat, & ſuos docet ex eo calceos inungere: noſtros quoque ſacerdotes, quod cum illius chryſmatis inunctione ordinati ſunt, raſos vnctoſque velut

per

per opprobrium nominat.

Vides igitur Bucere,in primis etiã hac nota vos, veſtraſq; eccleſias excludi a communione & ſocietate catholicæ Chriſti eccleſiæ, iuxta certiſſimam eiuſdem & conſonam,quam paulo ante audiſti, orthodoxorum omnium patrum ſententiam, quod non ſit apud vos ſacerdotij ordinatio legittima.

Nunc vide,an etiam tertia hac nota ab eiuſdẽ catholicæ eccleſiæ communione, ſocietate, & conſenſu excludamini. Ad eandem eos non pertinere, ex eiuſdem catholicæ ab initio eccleſiæ, & orthodoxorum patrum conſenſu demonſtrauimus,qui ſui ſacerdotij autoritatem referre non poſſunt ad Chriſtum per Apoſtolos, hoc eſt, qui eandem per Apoſtolos, aut eorum ſucceſſores non acceperunt; ſed nemini ſuccedentes, neque vllo ex his, qui ad autorem Chriſtum per Apoſtolos (quibus ſacerdotalem autoritatem ille primo elargitus eſt,per quos et propagari eandem voluit in fines orbis & ſæculi) ſui ſacerdotij autoritatem referre poteſt, ſacerdotium aut Epiſcopatum dante. Epiſcopi ſibi nomen aſſumũt ab his,q́ ſibi præpoſitos abſq; vlla ordina-

tionis lege conſtituunt.

Age igitur: primus eccleſiarum veſtrarum patriacha & Epiſcopus Lutherus eſt. Sunt & Epiſcopi Bucerus, Pomeranus, & innumeri alij. Quibus obſecro vos ſucceſſiſtis Epiſcopis catholicis, quamuis in catholicis ad vos vſque eccleſijs? Quibus dantibus Epiſcopatum ex Apoſtolorum ſucceſſoribus, qui legittima ordinatione, & continuæ ſucceſſionis ſerie autoritatem ſuam ad Chriſtũ per Apoſtolos retulerunt & referunt, Epiſcopi aut ſacerdotij nomen aſſumpſiſtis? an non ab his, qui ſibi præpoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt: aut ipſi vos ipſos feciſtis eccleſiarum paſtores & præpoſitos? De te & ſymmiſtis tuis dum multa excuſas, multa deprecaris, quæ a vobis per imprudentiam commiſſa ſunt, quæ in euidentem perniciem ceſſerunt eccleſiæ, ipſe tu ingenue confiteris Bucere, quod iuuenes, imperitique prope omnes, ad miniſterium tam arduum, paſtoralis nempe officij, & diuini verbi prædicandi, & ad cauſam tantam, hoc eſt, doctrinæ Chriſti, quam profitemini, repurgationem, & eccleſiaſticæ doctrinæ correctionem pertracti ſitis: nec communionis ſanctorum, hoc eſt, eccleſiaſticæ vnitatis cõſeruandæ, nec

diſci-

diſciplinę Chriſti & eccleſiaſticæ ſcientiam iuſtam habueritis: & propterea multa temere in eccleſia commoueritis, quæ præſtiterat ne attingere quidem: eaque audacia, populum, & doctrina eccleſiaſtica,& ſacrorum reuerentia ſolueritis. Hoc igitur te interrogo, quis vos iuuenes tantarum rerum tam imperitos, ad tantum pertraxit miniſterium? tantam vobis cauſam delegauit? Quis vos eccleſiarum paſtores conſtituit? quis vobis commiſit prædicandi verbi miniſterium? quis vos cenſores fecit doctrinæ publicæ, quæ tot annis vſitata & recepta eſt in catholica Chriſti eccleſia? qs vobis talibus, eius corrigendi & reformandi demandauit prouinciam? Lutherus ne? Et vnde illi id autoritatis competierat? Dicis, non potuiſſe te, vt primũ ex Eraſmi, deinde Lutheri libris cognouiſti, quæ vera eſſet religio, non palam docere, & profiteri eandem. Ipſe ergo tibi vſurpaſti tãtum paſtoralis functionis miniſterium, et prædicandi verbi officium. Sed quid ille? Nemo, inquit, aſſumit ſibi ſacerdotalem aut paſtoralem honorem, ſed qui vocatur a Deo tanq̃ Aaron. Et rurſus idem ille eccleſiarum tantus doctor & Apoſtolus, negat cuiq̃ licere ſibi vſurpare prædicãdi verbi miniſteriũ, ſed ijs demũ

id

id competere, qui legittime ad hoc vocati, & miſſi ſunt ab his, quibus id competit. Quomodo, inquit, prædicabunt, niſi mittantur? Et vos iuuenes, priuati, obſcuri, conſeruandæ vnitatis eccleſiæ, & diſciplinæ Chriſti, & eccleſiaſticæ imperiti (quod ipſi confitemini) non vocati, non miſſi, vos ipſos ingeſſiſtis ad tantum, tam ſublime miniſterium? vobis ipſis vſurpaſtis prouinciam repurgandi, corrigendique diſciplinam publicam? Et hinc nata ea, quæ adhuc durant, in religione diſſidia: quia vobis hæc agentibus ac molientibus, nos obſequi noluimus, ſed reſtitimus potius. Nunquid iniuſte? vt qui vobis ipſis confitentibus, multa temere commouiſtis in eccleſia, quæ præſtiterat ne attingere quidem, atque ea audacia ſolueritis populum a diſciplina eccleſiaſtica, & ſacrorum reuerentia? Ita ne vnquam iſtorum te pudebit Bucere? An quiſquam iſta legens, te mente conſtare crediturus eſt? Adhuc perpetuo iactabis ſocietatem, communionem, & cōſenſum catholicæ Chriſti eccleſiæ? Nihil eſt, quod hic ad conſuetas patribus veſtris aduerſus catholicos tergiuerſationes recurratis, & dicatis eundem vos patrem Deum agnoſcere, eundem eius filium dominum noſtrum Ieſum

Ieſum ſaluatorem habere, eundem vtriuſque ſpiritum ſanctificantem adorare vna cum patre & filio: ſyncera Chriſti ſacramenta apud vos eſſe: eandem legem & doctrinam fidei: eaſdem ſcripturas euangelicas, Apoſtolicas & Propheticas, & in charitatis & fidei communione coniungi cæteris Dei filijs. Nam præterquam, quod hæc falſiſſime iactãtur a vobis, quẽadmodum non ſemel in præcedentibus, copioſius autem in alijs plæriſque lucubrationibus noſtris demonſtrauimus, & in quam multis & in quam grauibus pugnatis cum doctrina fidei catholicæ eccleſiæ, euidens fecimus. Vt tamen vniuerſa hæc ita ſe haberent, vt dicitis, vel eo ſolo nomine ad Chriſti ouile, hoc eſt, catholicam eius eccleſiam pertinere non poteſtis, quod quem ille ſuis ouibus omnibus paſtorem & rectorem conſtituit, Petrum & qui eius locum apud nos obtinet, non agnoſcitis: ſed capitale cum eo bellum gerendum vobis deſumpſiſtis. Quod furore ſacrilego vos ſeparaſtis a Petri cathedra. Deinde & vel hoc ſolo nomine, quod apud vos legittima ordinatio ſacerdotij non ſit. Poſtremo, quod ſacerdotij veſtri autoritatem referre non poteſtis per continuam ſucceſſionis ſeriem, ad CHRISTVM per Apo-

ſtolos: ſed ipſi vos ipſos feciſtis paſtores & præpo ſitos, aut abſque legittimæ ordinationis lege ab his, quibus id a Chriſto mandatum eſt, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus aſſumpſiſtis ſacerdotij & paſtoralis dignitatis nomen & officium.

Nihil proinde cætera, quæ falſo iactatis, vobis prodeſſe poſſent, etiamſi adeſſent omnia: imo etiam quantumlibet alioqui viueretis laudabiliter: ſed ſolo hoc ſcelere, quod a corporis CHRISTI vnitate ſeiuncti eſtis, alieni quoque eſtis ab illa triumphante Hieruſalem, ad quam, niſi ex hoc Chriſti regno & ouili (cui Petrus paſtor & rector præſidet, cuius cathedra eſt ſupremi iudicij ſolium, quod nobis in eodem Chriſtus conſtituit) nulli patet aditus: ſed ira Dei ſuper illum eſt, quiſquis ſe diuiſerit ab hac eccleſia. Macula enim huius diuiſionis & diſcordiæ, vt beatiſſimus Cyprianus hoc veriſſime docet, nec purgatur confeſſione, nec abluitur ſanguine. Sed hæc eſt (vt idem Cyprianus nos admonet) antiqui illius ſerpentis aſtutia: vt quos apertis perſequutionibus per tyrannos, apoſtatas, & Chriſtiani nominis perſequutores capere non poteſt, eoſdem ipſos occultis acceſſi-

ceſſibus adrepens,ſub prætextu Chriſtianæ fidei et pacis, ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos: inueniens hęreſes & ſchiſmata,quibus ſubuertat fidei veritatem,et corporis Chriſti vnitatem corrumpat: vt quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribat & decipiat noui itineris errore:rapiens de Chriſti eccleſia homines, etiã eos,qui ſibi non videntur deſerere eccleſiam Chriſti:et dum ſibi videntur iam appropinquaſſe lumini,lucemque exortam ſibi illuxiſſe,& ſe tenebras, et regionem vmbrę mortis euaſiſſe,aliàs neſcientibus tenebras rurſus infundant,vt nec cum Chriſto,nec cum illius lege,nec cum euangelio reuera conſiſtãt: exiſtimantes tamen ſeſe habere Chriſti doctrinam, veramque euangeliorum fidem,& apud ſe eſſe ſanctam, catholicam & Apoſtolicam eccleſiam, cum ſint cæci,& in tenebris.

Sic ergo per hæreticos & ſchiſmaticos, in angelum lucis transfigurat ſe angelus ſatanæ, ſubornans ſuos miniſtros quoſdam, velut miniſtros Chriſtianæ fidei & iuſtitiæ, qui propinent noctem pro die: perfidiam ſub prætextu fidei: Antichriſtum ſub CHRISTI vocabulo: odium

ac diuiſionem contra CHRISTVM, eiuſque eccleſiam, ſub titulo Chriſtianæ charitatis & fidei, vt dum veriſimilia mẽtiuntur, veritatem ipſam orationis ſublimitate fruſtrentur. Hæc atque eiuſmodi Cyprianus ille, aduerſus patres & proauos veſtros veriſſime dicens, etiam vos illorum germanos filios velut graphice deſcripſit. Quin & cauſam, quæ & illos decepit, nec minus vos decipit explicans, eam affirmat, quod non eſt vobis cura veritatis eccleſiaſticæ: nec vnde eius origo & caput pendeat, inquiritis, quod ipſum tamen omnibus ſit obuium ex doctrina cœleſtis euangelij, in quo ita loquitur dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et ęidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam, parem dimittendi peccata poteſtatem tribuerit, dicens: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Accipite ſpiritum ſanctum. Si cui remiſeritis

pecca-

peccata,remittuntur eis,ſi cui tenueritis,tenebuntur eis: Tamen inter eos ipſos,etſi alioq; pares, quo manifeſtaret eccleſiaſticæ vnitatis caput & originem, eandem ab vno incipientem in Petro diſpoſuit. Quam qui non tenet,quomodo,inquit, tenere ſe fidē credit? quomodo ſe eſſe in eccleſia Dei cōfidit? Extra eam domum, cuius Petrus rector paſtorque conſtitutus eſt,& quam nobis arca Noe deliniauit, quicunque agnum comederit,profanus eſt, inquit orthodoxus ille Hieronymus, & peribit ingruente diluuio,quiſquis intra eam ſeruatus non fuerit. Videte proinde,quam recte vobis,miſeriſq́;,quos in ſectas veſtras pertraxiſtis,conſulueritis. Qua denique veritate Bucere, extrema illa tua,quod ad hanc partem attinet,peroratio nitatur, qua affirmas paratos vos,non amplecti modo & promouere, quicquid ad inſtaurandam veriſſimam eccleſiæ vnitatem, & eccleſiaſticam diſciplinam facere vllo modo poſſit: quin & ſumma cura, & fideli opera pridē vos iam elaborare, vt hæc cognoſcantur recipianturque ab omnibus, & nos exhortaris, vt hic vos ſudātes,qui noſtrum, hoc idem ipſum digno conatu ſtudemus, ſaltem vos ſocios non aſpernemur, hanc nobis curam religioſis verbis inculcans. Sed vtinam

 vel

vel nunc tandem Bucere (quam ignoraſſe te fate-
ris, cum primum hanc tibi prædicandi euangelij
Lutheram deſumeres prouinciam) vnitatis eccle-
ſiæ aut communionis ſanctorum (vt tu loqui ma-
uis) conſeruandæ veram ſcientiam didiciſſes. V-
tinam vel nunc demum intelligeres, vnde pende-
at, in quo conſiſtat, & quo pacto conſeruari poſſit
vigor diſciplinæ publicæ. Nam intellexiſſes vtiq;,
quam longe abeſt a vero tua aſſertio, qua affirmas,
paratos vos, non amplecti modo, ſed & promo-
uere, quicquid ad inſtaurandam veriſſimam eccle-
ſiæ vnitatem, & eccleſiaſticam diſciplinam vllo mo
do facere poſſit. Intellexiſſes, vt vobis potius per-
ſuadere debuiſſetis, vt abiecto furore inconſulto,
temerario & pertinaci (quo vos ſeparaſtis a com-
munione & ſocietate catholicæ eccleſiæ, quo vnita-
tis eiuſdem caput & originē impugnatis, quo tolli-
tis vinculum, energiam & efficaciam omnis diſci-
plinæ eccleſiaſticæ) humili erratorum veſtrorum
confeſſione ac recognitione, ſupplices recurreretis
ad gremium matris eccleſiæ, quæ vos obuijs vlnis
lætabunda & gratanter exciperet: & nos ſuper fra-
trum noſtrorum reuerſione ac ſalute lęticiæ ſuæ ſo-
cios haberet. Vt vero ſperes ita id poſſe fieri, vt reli-
cto

cto illo Chriſti ouili (in quo Petrus Chriſti omniũ paſtor, rectorq; conſtitutus eſt) relicto illo eccleſiaſticæ vnitatis capite & origine, diuiſi ab illa principali eccleſiæ cathedra, transfugere etiam ad vos nobis perſuadeas, & vobiſcum vna hæreticos & ſchiſmaticos effici, veſtrum ſequi ducatum ac magiſterium, fieri prorſus non poteſt. Et hæc quidem de cauſis diſſidiorum, quæ in religione adhuc durant in eccleſia, ſufficere mihi poſſe videntur. Ex quibus, quam ſit aliena a veritate Buceri ſententia, quã in nullo cohærens, ſed multis modis ſecum pugnans eiuſdem oratio, quam falſo iactet perpetuo, ſe cum ſuis communionem & ſocietatem catholicæ eccleſiæ mordicus tenere, eius conſenſum in omnibus ſe perpetuo ſequi, in quam certo denique damnationis periculo agant omnes, qui Lutheri ſe addixerunt magiſterio, ſectæ, & euangelio, nunc euidens factum exiſtimo.

Qua ratione hæc in religione diſſidia tolli queant, & eccleſiæ in piam reduci concordiam, Buceri ſententia.

Non

NOn male ſuadet,inchoandum nobis omnibus a ſyncera peccatoꝝ noſtrorum pœnitentia.Quandoquidē ea ſunt,quæ ſicut inter Deū & nos,ita inter nos ipſos diſtractionem faciunt.

Deinde aſſumit,non niſi inter Dei filios,& in ijs, quæ vere a dño tradita ſunt,conſenſionē poſſe conſtitui.Cum ijs vero,qui ex Deo nati non ſunt,quos non agit Chriſti ſpiritus,eis qui Chriſti eſſe volunt, nihil eſſe poſſe in religione commune, ſed cum illis irreconciliabile,& irremiſſibile ipſis bellum gerendum.Proximum igitur eſſe, ad ſarciendam in religione concordiam affirmat,vt quicũq; Chriſti eſſe volunt,ij ſe mutuo inquirant,agnoſcant,cõplectantur,omneſq; non filios Dei caueant ac fugiant.Hos ſolos vult conuenire in ſynodum, præſertim eos,q̃ ex his,vel docendi,vel gubernandi munere,ſeu ciuili,ſeu eccleſiaſtico funguntur, etiam inuitis & reclamantibus ſummis ſacerdotibus, hoc eſt, omnibus, qui religionis ſibi primam & iudicationem & gubernationem vendicant,nihil morati ſucceſſionem & autoritatem,quas iactitant.

Neque eſſe cum illis conueniendum vel tractandum

ctandum de religione, qui nobis cognoſci non poſſunt Dei filij, & præditi Chriſti ſpiritu. Nam peccatoribus in concilio iuſtorum locum patere non debere. Hos, inquam, ſolos Dei filios, & Chriſti ſpiritu præditos, moderatores præſertim doctoresque, vtrimq; vult conuenire in Chriſti nomine, & ſcripturas ſacras in manus ſumere, & bona fide ſcrutari, quas ſolas ſufficere vult ad tollendas omnes controuerſias, nec eſſe eas, vt ait blaſphemare impios, velut cereum quendam naſum in omnem ſenſum flexiles, ſed vnum certumque, & eum certiſſime familiariſſimeque docere. Tametſi quid veteres eccleſiæ crediderint, quid obſeruarint, quid in omni vita ſectatæ ſint (quod ex ſanctorum patrum ſcriptis intelligitur) ijſdem illis negligendum non eſſe, ſed ſtudioſe inquirendum.

Mentiri illos, qui affirmant, non licere nobis ſine Romani Pontificis aſſenſu concilium cogere, aut quicquam de religione ſtatuere, quod non ipſe vna cum alijs nationibus ſimul approbet. Nam quod cum ſcriptura non conuenit, nec eſt traditum ab initio, & obſeruatum bonis eccleſię temporibus, id admittere, nec ius, nec fas eſſe. Contra,

quod docuit & inſtituit Chriſtus, cum per ſe, tum per Apoſtolos ſuos, quod religioſe coluit pia antiquitas, id amplecti & conſectari eſſe neceſſarium omnibus, qui Chriſti eſſe volunt, & reijcere fugereque, quicquid eſt ab eo diſſentaneum. Quæ vero a domino commendata atque inſtituta ſunt, nec rudes latere poſſe, ſi ea, inuocato Chriſti ſpiritu, in ſcripturis, & ſanctorum patrum monumentis ſyncero ſtudio inquirant. Nemini enim petenti in fide non dari a patre cœleſti bonum ſpiritum, nec cuiquam non recludi mox iſta myſteriorum Chriſti adyta, quiſquis prece, & vero faciendæ voluntatis Dei ſtudio ea pulſauerit. Solere quidem vocari ſemper ad generales ſynodos Romanos Pontifices, dum veros ea eccleſia Pontifices habebat, vt primos inter patriarchas. At non licuiſſe, niſi Romani Pontificis accedente autoritate, etiam generales ſynodos indicere & celebrare, id eſſe vaniſſimum conſtare omnibus, qui norint hiſtorias eccleſiaſticas, & in veterum monumentis vel mediocriter verſati ſunt: ad Euſebium, & eccleſiaſticam hiſtoriam tripartitam ſe referens. Quin & cõtradictiones Epiſcoporum Aphricanorum introducit, & ſub beatiſſimo Cypriano, & poſterio-

ſterioribus tēporibus, aduerſus appellationes trāſ-
marinas, eorum nempe, qui a legittima Epiſcopo-
rum ſynodo pro ſuis criminibus in Aphrica con-
demnati fuerant, vbi & accuſatores, & teſtes ſui cri-
minis præſentes habuerunt. Eſſe etiam Niceni con
cilij canones, quibus ſit ſtatutum, eos, qui ſe alicuius
concilij ſententia inique premi putarent, ad ma-
ius frequentiuſque concilium, non ad Romanum
Pontificem appellarent. Quæ omnia, abſque repe-
titionis tædio, cum hæc ipſa excutiemus, commo-
dius explicabimus.

Imo ipſos eſſe canones Apoſtolicos indubitatæ
fidei, quibus præcipiatur, vt quotannis in qualibet
prouincia binæ ſynodi habeantur, & in qualibet na
tione, quoties id neceſſitas poſtulauerit. In quibus,
quicquid conſtituerint pro veritate contra menda-
cium, pro ſynceritate diſciplinæ contra omnē diſſo
lutionem morum, id ipſum tam ratum, ac firmum
haberi vult oportere, vt reſcindi non poſſit, nec per
Rom. Pontifi. Quin & olim reges pios, verosque
Prophetas, de reſtituenda religione, nihil prorſus
cum ſacerdotibus, ſuiq; temporis impijs cōſtituere
potuiſſe, ſed coactos eccleſiam Dei cogere & inſtau

rare, omniaque cum ijs tractare, quos ad id animauerat Deus. Et in noſtra quoque Chriſtiana eccleſia, perſecutionum temporibus, quas eccleſiæ ſunt perpeſſæ ab hæreticis, orthodoxos tũ ex clero, tum ex plebe, velut conſpiratione contra impios & hæreſi infectos Epiſcopos, facta, ad ſanam Chriſti doctrinam, & ſanctam in ea cõmunionem tuendam, per ſe congregari ſolere, & de religione conſtituere, quod ipſis videbatur neceſſarium. Ita neque hodie quicquam dubitandum pijs eſſe, oportere nobis, licet inuitis & reclamantibus ſummis ſacerdotibus, hoc eſt, omnibus, qui primam ſibi autoritatis, dignitatisq́ prærogatiuam in eccleſia vendicant, qui primam in omnibus, quæ ad religionem pertinent ſibi iudicationem præſumunt: nihil morati ſucceſſionem & autoritatem, quas iactant, vt quos omnes pro illa ſua Chriſtiana modeſtia dicit natos ex diabolo, atq́ eius opera facere, nec colligere cum Chriſto, ſed diſpergere cum ſatana.

Qui in cathedra Moſi et Apoſtolorum ſederint, hoc eſt, doctrinam Moſi & Apoſtolorum tradiderint, hos, inquit libenter audiemus, quicquid viuãt. At ſi qui aliud, quam hi ipſi Prophetæ & Apoſtoli,

euangelium afferunt, vel qui, vt id, quod illi nobis attulerunt, extinguatur, nihil prorſus intentatum relinquunt, hos anathema nobis habendos, & vt lupos rapaces, Antichriſtoſque nobis fugiendos eſſe.

Et hactenus quidem, qua ratione graſſantia hæc in religione diſſidia tolli, & eccleſiæ in piam concordiam reduci queant, Buceri ſententiam explicauimus, non paulo tamen, quam ille, & compendioſius, & ordinatius, & luculẽtius, vt qui idem terque quaterque ad nauſeam vſq; repetit. Ad hæc oratio omnis, ſtudio inuoluta, & velut ſine ſcopo currens, obſcuriſque falſa inuoluens, vnum hoc moliri videtur, vt lectorum oculis fumos inijciat, quo videatur ad concordiam conferens dixiſſe aliquid, cum dicat nihil, aut ſi quid nihilo minus dici poteſt: euidenter falſa audaciſſime aſſumens & impudentiſſime aſſeuerans: deinde concludens ad ea media, quæ ſunt a re alieniſſima, plane impracticabilia, imo prorſus impoſſibilia, & quæ ſeipſa euidenter elidunt, & cum ijs, quæ bonis eccleſiæ temporibus, a ſanctis illis patribus noſtris, in ſimilibus cauſis vſitata & obſeruata ſunt, euidenter pu-

 gnant.

gnant. Quæ vt tu etiam lector, qualia veriſſima ſunt, etiam clariſſime intelligas, nunc dabo operam, & certo efficiam, modo ſepoſitis tantiſper affectibus, qui ex partium ſtudio oriri ſolent, vni interim veritati aures, mentemque accommodes.

Excuſſio explicatæ nunc Buceri ſententiæ de ratione, qua & tolli diſſidia, quæ in religione ſunt, & eccleſiæ in piam concordiam reduci queant.

ECcleſiam Chriſti eſſe ſocietatem Chriſtifidelium, eamque vnam, catholicam, & Apoſtolicam, ex confeſſione Nicenæ fidei indubitatum eſt. Quanquam alioqui nulla ſocietas, niſi vinculo vnitatis alicuius, poſſit ſubſiſtere. Inter multos vero, nec vnitatem, nec ſocietatem poſſe conſtare, niſi alicuius ordinis vinculo in vnum contineantur, vt per ſe notum eſt, ita alibi a nobis, nec vno loco euidenter demonſtratum eſt.

Nec eſt hæc ſocietas tantum inter paucos ali-

quot

quot Dei filios, qui CHRISTI aguntur ſpiri-
tu, & regno ſupernæ beatitudinis adſcripti ſunt,
quam & nos (qui peccatores ſumus, & quotidie ca
dimus, aliquando ſurgimus, & in timore ac tre-
more ſalutem noſtram operamur) ſperantes in
infinita Dei bonitate ac miſericordia, incerti ta-
men quis hinc nos exitus maneat, nihilominus ec-
cleſiaſticam ſocietatem non deſerimus: ſed in ea, ſub
diſciplina publica, ſub rectorum paſtorumque e-
ius obedientia viuimus.

Illi vero, ex quibus ſolis aduerſarij conſtructam
eccleſiam volunt, & nos, & ſeipſos latent, nec ſeſe
agnoſcunt mutuo, ſed in diuerſis forte mundi an-
gulis deliteſcunt. Sed eſt hæc ſocietas inter omnes,
qui CHRSTO nomen dederunt, eius familiæ
adſcripti ſunt, in eius domo, & ouili ſe continent.
Quod vt faciant neceſſe eſt, vt in his, quæ ad ſo-
cietatem eam, hoc eſt, religionem pertinent, vni-
uerſæ ſocietati conſentiant, & magiſtratus, ſum-
mos præſertim, qui in ea nobis conſtituti ſunt,
religioſe reuereantur, & obedienter agnoſcant.
Nam quod etiam peccatores, qualis fere nemo
inter nos aliquando non eſt, eius ſocietatis pars
ſunt

ſunt & permanent, quouſque & ipſi ſe inde ſacrilego furore diuidunt, aut ab ea eijciuntur ob rebellionem, aduerſus magiſtratus eius & contumaciam. Id tam cernere licet per ſe ex ipſa rei natura, ex qua neceſſario eſt conſtituta eccleſia, quam ex clariſſima Chriſti doctrina, qui eam ſubinde decem virginibus comparat, quarum eſt medietas fatua, & peccatores, qui eccleſiaſticæ ſocietatis membra, & pars ſunt. Quod & hos tamen vult argui, corripi, & ſeueritate publicæ diſciplinæ coerceri, patet ex Apoſtolica quoque & totius ab initio eccleſiæ conſentiente doctrina, & obſeruatione (qua hæc etiam publicos peccatores, ſua tamen membra agnouit: pro eis piam ſollicitudinem geſſit, velut mater filios admonuit, corripuit, & in eorum emendationem, aliorumque terrorem & exemplum, ſeueritatis & diſtrictionis ſpecimen edidit). Quæ tametſi nulli Chriſtifideli non ſunt euidentiſſima, tamen ob impugnantium nos hæreticorum pertinaciam atque impudentiam, alibi, nec vno loco, a nobis irrefragabiliter demonſtrata ſunt. Vnde eſt euidens, quam euidenter falſa, quam impia atque impudens ſit Buceri aſſertio, qua in hac quoque de tollendis, quæ nunc ſunt in reli-

religione, diſſidijs, ſarciendaque eccleſiarum concordia, toties affirmat, imo velut fundamentum ſuæ ſententiæ conſtituit: Non poſſe, niſi inter Dei filios, & qui eius ſpirtu aguntur, eiuſque opera perficiunt, vllam in his, quæ ad religionem pertinent, conſenſionem conſtitui, nihil his, qui CHRSTI eſſe volunt, poſſe cum illis in religione commune eſſe, ſed neceſſario cum illis & irreconciliabile, & irremiſſibile bellum gerendum: Nam quam diu inter quos ſocietatis eccleſiaſticæ ius conſeruatur & conſtat, tam diu perdurat in his, quæ ad religionem pertinent, conſenſio. Quid enim, ſi quis noſtrum alicui peccato ſuccumbat, nunquid propterea a religione, & vniuerſis, quæ ad eam pertinent, eccleſiaſticis ſacramentis, vniuerſaque denique religioſa eccleſiarum ſocietate, alienus eſt? nunquid ſacerdos, ſi cui ſit peccato obnoxius, non baptizat? non dimittit pœnitentibus peccata his, qui remiſſionem eorundem, vt oportet, quærunt? non conſecrat panem & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem? Miſera ſane foret, & ſuæ ſalutis plane incerta eccleſiaſticæ ſocietatis conditio, ſuo illo autore et opifice prorſus indigniſſima, perpetuis, irreconciliabilibus, & irre-

N miſ-

miſſibilibus agitata bellis, ſeditionibus, idque Andabatarum more, qui in tenebris dimicant, & cœcis vniuerſa miſcent tumultibus: quando de nemine, quod vere ſit Dei filius, & Chriſti ſpiritu agatur, omnino certi ſumus, ac ne de nobis ipſis quidem.

Sed aduerſariorum tam ſtupendam temeritatem, qua eccleſiarum diſpenſatores, Pontifices, & Epiſcopos vniuerſos, quos nunc habet eccleſia, imo & cæteros omnes, qui ab impia eorum doctrina diſſentiunt, pronunciant natos, non ex Deo, ſed diabolo: non CHRISTI, ſed ſatanæ agi ſpiritu, Paulus apoſtolus vehementer redarguit: qui non ſolum non vitam, ſed nec adminiſtrationis eorum rationem vult inquiri a ſubditis, ſed velut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei reuerenter haberi. Nam cum de ſacrorum & verbi miniſtris, eorumque (quod ad vitæ dignitatem ſpectabat) inæqualitate & differentia præmiſiſſet: Vnde carnales quidam, etiam ſacrorum, quæ per illos miniſtrata erant, imaginabantur inæqualitatem & differentiam. Sic vos, inquit, exiſtimet homo, vt miniſtros Chri-

Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei. Hic iam quæritur a vobis inter diſpenſatores vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neq; meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, et tunc laus erit vnicuique a Deo.

Vides, vt tantus ille Apoſtolus non tulerit ſubditorum, non ſolum de vita præpoſitorum ſuorum, & eccleſiæ rectorum, tam temerarium, tam iniquum, tam atrox, quale hi tanta impudentia de omnibus proferunt, iudicium, qua eos filios diaboli pronunciant (quorum tamen multorum, ſi e propinquo & interne ſpectetur, longe magis quam ipſorum vita, Chriſtum exprimit) ſed nec in rationem adminiſtrationis eorum inquirere, ſed velut Chriſti miniſtros, & diſpenſatores myſteriorum eius vult eos reuerenter haberi, vult honorari miniſterium & officium, non vitam iudicari a ſubditis, vnde nihil pendet myſteriorum

Chriſti, quibus miniſtrandis illi præſunt, efficacia. Nam quam ſit fallax, & incertum etiam noſtrum ipſorum de nobis ipſis iudicium, idem ipſe non tacuit: Nihil enim mihi ſum conſcius, inquit, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniat dominus, qui & illluminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Quid igitur tibi frontis eſt Bucere? Quid tibi conſonat cum Paulo apoſtolo? Tu vniuerſos diſpenſatores myſteriorum Dei, Pontifices & Epiſcopos, quos modo habet eccleſia, non ſolum diſpenſatores minus fideles, ſed natos ex diabolo pronuncias: agi non CHRISTI, ſed ſatanæ ſpiritu. Sed ille Chriſti ſpiritus, tam temeraria, tam iniqua, tam atrocia iudicia de proximis, imo de paſtoribus & præpoſitis noſtris non ſuggerit. Tamen quid habes, quod eos omnes tam inimico, & crudeli iudicio ſubijcis? Scio non inſpectam tibi vitam omnium, de quibus tam hoſtiliter pronuncias. Scio etiã multorum, quam tua ſit, vitam multo meliorem eſſe, et quæ ſyncerius Chriſtum exprimit. Quid habes igitur? Scilicet, quia pie & euangelice, veſtræ

aduer-

aduerſantur doctrinæ & ſententiæ. Qua tamen in re, ipſe tecum aperte pugnas, & aduerſaris tuæ, & veſtrorum fidei confeſſioni, quam Auguſtæ profeſſi eſtis, & adhuc tueri videmini. In ea ſiquidem agnoſcitis, & tribuitis Epiſcopis autoritatem cognoſcendi de doctrina (ſi quæ noua exurgens vocatur in controuerſiam) an cum euangelio conſentiat, an vero pugnet: & reijciendi, quam diſſentire iudicauerint. Qua in re, confitemini eccleſias ijſdem ex iure diuino obedientiam debere, iuxta illud Chriſti: Qui vos audit, me audit. Si vobis ipſis confitentibus, ad Epiſcoporum autoritatem pertinet, vt cognoſcant de doctrina qualibet, quæ vocatur in controuerſiam, an conſentiat cum euangelio, an vero pugnet: & reijciant, quam diſſentire iudicauerint: Si inſuper vos illis, ex iure diuino hac in re obedientiam debetis, quid ijſdem indignamini, quod ſuo officio defuncti ſunt? nunquid propterea filij ſunt diaboli? An non vos ipſos potius demonſtratis diaboli filios, quod detrectatis obedire eorundem ſententiæ & iudicio, cui veſtra ipſorum confeſſione ex diuino iure tenemini obnoxij? Iudicarunt Epiſcopi, & imprimis Epiſcoporum ſummus & totius rector ec-

 cleſiæ,

cleſiæ, vna cum ſacerdotali concilio ſecum ſeruientium domino in cathedra Apoſtolica, quam primam ac principalem eccleſiæ ſuæ conſtituit. Iudicarunt, inquam, hi omnes, quas vos aſſertis nouas doctrinas, vt pias & euangelicas, pugnare cum Chriſti euangelio: & contra, illi conſentire, quas vos traducitis, vt impias. Quid igitur non deſertis Epiſcopali illi cognitioni, iudicio, & ſententiæ? quid alienas partes inuaditis? quid vobis arrogatis, quod ad Epiſcopalem autoritatem iure diuino pertinere etiam ipſi vos confitemini? Quid Epiſcopale iudicium ad veſtrum reuocatis iudicium? Quod ſi ita vobis facere liceat, quando obſecro tenebimini obedire Epiſcopali iudicio & ſententiæ, quam profert de doctrina aliqua, & eam vel damnat vt pugnantem, vel probat vt conſentiētem euangelio? Si dixeritis, quando vere pugnantem damnat, & vere conſentientē probat: verum ſi quid contra euangeliū doceat, tunc eccleſias habere mandatum Dei, quod obedientiam prohibet.

Sed hoc ipſum erat quod quærebatur, & controuertebatur inter quoſdam de doctrina aliqua, pugnaretne, an conſentiret euangelio. Et ne iſtiuſmodi

pugna

pugna & controuerſia inter aliquos,eccleſiæ et fidei in eadem vnitatem ſcinderet,vt ad viuam aliquam, nempe Epiſcopalem autoritatem eius rei ſpectaret cognitio,agnouiſtis neceſſariam, cui etiam diuino iure ſubiectas eccleſias, & Chriſtifideles cõfitemini. Quod ſi poſt prolatum illud iudicium,licebit his,q eam controuerſiam introduxerunt in eccleſiam, æque vt antea a ſe diſſentire,& inter ſe cõtẽdere,plane fruſtratoriam, imo ridiculam ea in re autoritatem & cognitionem Epiſcopalem facitis.Quem enim vnquam proferetis caſum,in quo Chriſtifideles,hac ipſa in re Epiſcopali cognitioni, & iudicio tenebuntur acquieſcere? An quando doctrina,quã probat, vere conſentit euangelio?

Quid ſi vere conſentiat, & tamen vobis diſſentire videatur?An quicquid vobis videtur, neceſſario verum eſt?Certe non eſſe, luce meridiana clarius demonſtrauimus, imo ipſi vos re ipſa demonſtraſtis, etiam nobis tacentibus. An tibi Bucere, vt alia innumera taceam,aliquando viſum non eſt, Sacramentariorum illam execrandam impietatem, tam euidenter pugnantem cum Chriſti euangelio, & omnium orthodoxorum ab initio patrum

Sacramentarius Bucerus.

cer-

certiſſima ſententia conuenire cum Chriſti euan‑
gelio? An non eiuſdem impietatis doctor, aſſertor, & diſſeminator extitiſti tu vna cum ſymmiſtis tuis, apud Argentinenſes tuos & alios? Quid igitur, nũ tibi nunc idem videtur? an non iam cõfiteris & intelligis nobiſcum, Chriſti conſonare euãgelio, in euchariſtia eſſe veritatem corporis Chriſti & ſanguinis? Adhuc non vides, quam vos ipſos hic ridiculos facitis, quam ipſi voſmetipſos, quid intelligatis & velitis, non intelligitis? Sed vt reuertamur, vnde paululum excurrit oratio, ad excutiendam ſententiam tuam, qua ratione & tolli poſſint, quæ in religione nunc graſſantur diſſidia, & ecdeſiæ renouari in piam concordiam.

Aſſumis, niſi inter Dei filios, & qui Chriſti ſpiritu aguntur, in his, quæ ad religionem pertinent, vllam conſenſionem eſſe nõ poſſe: quinimo iſtis ipſis cum his, qui Dei filij non ſunt, nec Chriſti ſpiritu aguntur, irreconciliabile atque irremiſſibile bellum gerendum neceſſario. Habet hæc Chriſti domus, & familia etiam carnales non paucos, & qui ab operibus carnis (quibus a regno Dei excludi ea facientes affirmat Apoſtolus) immunes non ſunt: ad

ad quos reducendos corrigendoſq; eiuſdem domus diſciplina publica uigilat. Habet & ſuos ægrotos & infirmos, quorum curæ ut parata eadem habet remedia, ita ut illis omni cum dexteritate intendant, præpoſitorum officium exigit. At non omnes illi, his uitijs, his morbis pro tempore ſubiecti, ſunt dei filij ſecundum præſentem iuſtitiam, ut qui non dei, ſed cōtra carnis potius & diaboli opera perficiūt: nec ęgroti illi & infirmi ſemper aguntur a Chriſti ſpiritu, ſed ſæpe ſuæ infirmitati ſuccumbunt: Præcipit nihilominus Chriſtus, & inſtantiſſime exigit, pacem ſeruari in ſua domo & familia: In quam tu contra Buccre, irreconciliabile, & irremiſſibile bellum introducis inter eos, qui Chriſti ſpiritu acti, dei opera faciunt, q̄ reliquorum comparatione pauci ſunt, & inter carnales hos e regione, qui auſcultant mundo, carni, & ſatanæ: nec tamen propterea eccleſiaſticæ familiæ ſocietatem deſerunt. Huius tam pertinacis atq; inteſtini belli, in eadem ſocietate & familia, quis tandem expectari poſſet niſi funeſtiſſimus exitus, etiam in filiorum dei, quos tu fingis, ut pauciſſimorū ad reliquos comparatione, ceſſurus perniciem? Tu affirmas, nullam inter hos conſtare poſſe cōſenſionem in his, quæ ad religionem pertinent. Poteſt ne quicquam dici aut

cogitari magis pugnãs cum Chriſti doctrina,& euã gelio? Sed ueſtro more facis, quod uelut legislator quidam iſta nobis,ſola nudaq; aſſeuerandi audacia atq; impudentia obtrudis. In quibus ſane miror, ſi te ipſum intelligas. Supra demonſtrauimus ueram religionem,in uera dei cognitione, & uero pioque cultu eiuſdem conſiſtere. Chriſtifidelis per orthodoxam fidem, & diuinarum ſcripturarum diligens, & fidele ſtudium,ueram dei cognitionem iam aſſecutus, ſi ſibi per humanam infirmitatem excidens, carni aut diabolo auſcultet,& contra legem dei committat aliquid,non propterea ab ea,quam iam pridem ex auditu,& diuinarum ſcripturarum diligenti ſtudio aſſequutus eſt, uera Dei cognitione excidit. At ea prima religionis pars eſt. Conſtat igitur euidenter falſum eſſe, inter eos qui uere Dei filii ſunt,eiuſq; opera perficiunt,& eos,qui a mundo ſeducti & ſatana, carnis opera faciunt,nullam conſenſionem eſſe poſſe in his, quæ ad religionem pertinent: Niſi uera Dei cognitio,& ſyncera doctrina fidei (quæ iamdudum acquiſita, per mortale peccatum non amittitur)ad religionem non pertineat. Quam certum eſt eſſe uſui maximo, ad tollenda hæc in religione diſſidia, & ſarciendam eccleſiarum pacem & concordiam,

apud

apud quęcunq; demũ inuenta fuerit quamuis peccatorem, modo illi ex animo hæc diſſidia diſpliceant. Quæ tamen diſplicere quã plurimis, qui tam arroganter de ſe, aliiſq; ſtatuere & iudicare non præſumunt, uel ex me ipſo, mihi certo eſt cognitum. Horum (tametſi pro tempore peccatorum) operam, ad id quod quæritur multo utiliorem, efficaciorem q; non dubito, quã multorum uere dei filiorum, ſi modo hos ipſos daretur internoſcere, ſed ſimplicium, & qui in diuinis ſcripturis & ſyncera doctrina fidei perinde eruditi & exercitati non ſunt. Quin ſtat etiam alteram illam ueræ religionis partem (de quo id minus apparet) nempe pium Dei cultum, in peccatores congruere. Nam peccator eatenus quis eſt, quo adusque per ueram pœnitentiam, & ad Deum ſynceram conuerſionem, eidem reconciliatus eſt. Stat autem, ut in ipſo conuerſionis huius actu exiſtens, Deum pie & humiliter colat, atq; eo cultu a deo peccatorum ſuorum ueniam impetret.

Sed quid eſt hoc? Vis hos ueſtros Dei filios, & quotquot Chriſti eſſe uolunt, ut inquirant ſe mutuo, agnoſcant & complectantur, omnesque non filios

dei caueant & fugiant. Qui ita fieri poteſt? Quo pa-cto ſe inquirere, mutuo agnoſcere, & complecti poſſunt hij dei filij, & qui Chriſti ſpiritu aguntur: quando nec de ſe ipſo quidem, etiam qui uere talis eſt, ſatis ſecure pronunciat. Nihil, inquit ille tantus Apoſtolus, mihi ſum conſcius, non tamen in hoc iuſtificatus ſum: ſed qui me iudicat, dominus eſt. Imo quanto quis uerius eſt dei filius, tanto profundiori humilitate id ipſum in ſe non agnoſcit: ſed ſe potius ſuſpectum habet in omnibus, & ignorat ſiniſtra eius quod dextera faciat. Vnde ergo huic uere humili tanta arrogantia, ut ſe ante omnes dei filium certo ſtatuens, etiam de alijs hoc temere iudicare præſumit, quorum ſecreta cordis ſibi cognita nõ ſunt? Multi ſane, quod ad uitæ externæ ſpeciem attinet, Chriſti eſſe uidentur, qui tamen reuera Chriſti non ſunt. Quę ergo erit horum dei filiorum temeritas, ut contra euidentem Apoſtoli ſententiam ſibi arrogent, ante tempus iudicare de alijs, anteq̃ ueniens ipſe dominus illuminet abſcondita tenebrarum, & reuelet ſecreta conſilia cordium? Quæ deniq; iſta horum dei filiorum ueſtrorũ erga proximos omnes, quos eccleſiaſtica adhuc domus & familia continet, uera Chriſtianaq; charitas, ut uniuerſos, quos temerario illo ſuo, iniquoq; iudicio

cio non dei filios iudicãt eos uniuerſos, uelut peſtem aliquam caueant & fugiant: imo cum eis bellum gerant irremiſſibile & interminabile. Nunquid ita hos Chriſtus docuit & Apoſtoli? An ille peccatorum fugit ſocietatem & conſortium? Et quoties reſpondit phariſæis illis, qui idem prætendebant, quod nunc noſtri aduerſarij, ſe iuſtos & dei filios, criminantibus, quod cum publicanis & peccatoribus uerſaretur, ſe potius miſſum ad peccatores, q̃ iuſtos iſtiuſmodi in oculis ſuis, & qui alios peccatores iudicarẽt ſuperbo, temerario, præſumptoq; iudicio? Numqd illi bellum irreconciliabile, atq; irremiſſibile geſſerũt cum peccatoribus? quos tamen uerius, q̃ hij noſtri, internoſcere poterant: & non potius omnibus ſunt facti omnia, ut omnes lucrifacerent?

Quid deniq;? Hos ſolos ſuos dei filios uult Bucerus conuenire in publicam totius Germanicæ nationis ſynodum, præſertim eos, qui ex his uel docendi uel gubernandi munere, ſeu ciuili, ſeu eccleſiaſtico funguntur: uult eos ſolos inter ſe tractare & conuenire debere de his, quæ ad religionem pertinent, excluſis ab ea tractatione omnibus, qui nobis cognoſci non poſſunt dei filij.

Sed qui hæc fieri Bucere poterunt? uellem id quoque clarius explicaſſes nobis. An hij ultro & ſoli, etiam non uocati conuenire debeant in ſynodum, & harum rerum cognitionem, tractationem, definitionẽque, ſua ſibi autoritate uſurpare, excluſis inde cæteris omnibus? & quicquid ſtatuerint uniuerſæ tantæ nationi, imo uniuerſæ eccleſiæ, uelut neceſſario ſequendum, obtrudere? Hac ſola uia tollentur, quæ ſunt in religione diſſidia, & eccleſiis ſua ſarcietur cõcordia? Ego ſane nihil uideo, ſi non hæc ipſa uia triplo atrociora bella inueheret in eccleſiam. Quomodo enim Chriſtifideles cæteri, qui meliori forte, q̃ tui iure ſunt Dei filij, aut ad hæc tractanda, (qualiſcunq; alioqui eorũ uita fuerit) ſunt magis inſtructi & idonei, iſtorũ paucorũ arrogantiam, & tam uſurpatum, temerariumq; iudicium, & tantum ſui contemptum ferent? Iſtorum in his, quæ religionis ſunt, quiſq̃ ſe ſubmitteret iudicio? imo uero, quomodo non iniectis in illos manibus, eoſdẽ ipſos temerarios & arrogantiſſimos conuenias, e cathedra, quam ſua ſibi propria temeritate uſurparũt, doctrinæ catholicæ, eiecturi ſunt?

An uero publica aliqua autoritate indicetur ſynodus eiuſmodi an? ad eandem pertinebit conuocare

hos

hos, quos iudicat Dei filios, & excludere, reprobare-
que cæteros? Ita ſane Bucero non uidetur, ut qui do-
cet eos, qui Chriſti eſſe uolunt, ſeſe mutuo inquirere,
agnoſcere, & complecti debere, cauereq́ & fugere
omnes nõ Dei filios: oportere itidẽ hos ipſos conue-
nire, q̃uis inuitis & reclamãtibus omnibus, qui religi
onis primam ſibi iudicationem & gubernationem in
eccleſia uendicant, nihil moratos ſucceſſionẽ & auto-
ritatem, quas iactant, q hodie uocantur Pontifices &
Epiſcopi. At quo pacto (ſi autoritate aliqua publica,
indicenda conuocandaq́ foret iſtiuſmodi ſynodus) il
le, penes quem eſſet eius indicendi conuocandiq́ au-
toritas, quo pacto colliget, euocabit, diſtinguet hos
Dei filios & Chriſti ſpiritu actos, qui diuerſis or-
bis locis diſperſi ſunt, & quorũ ipſe familiarem noti-
tiam habere non potuit. Etſi forte nonnullorum noti
tiam haberet, ſciret tamen, quod nec de ſeipſo tu-
to pronunciare poſſet, ſe eſſe Dei filium, & Chri-
ſti ſpiritum habere, ſed in timore ac tremore ſalutis
ſuæ agens negocium, & humiliter de ſe ſentiens, ſu
aque omnia ſuſpecta habens, cum Apoſtolo diceret,
ſi tamen uere hoc poſſet dicere. Nihil mihi conſci-
us ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iu
dicat me, dominus eſt. Certe de aliјs ſibi iudicare ante
tem-

tempus non licere, quouſq; ipſe dominus aduẽtu ſuo occulta & abſcondita in lucem poſiturus eſt, & manifeſtaturus ſecreta conſilia cordium, eidem illli Apoſtolo crederet. Quo unquam pacto hic ſolos dei filios, & Chriſti ſpiritu actos deliget ex omnibus, & cõuocabit ad ſynodum? Niſi forte Bucerum hic, Philippum, & Lutherum paracletos haberet, ut quibus ſcilicet familiariter noti ſunt omnes dei filii, & q præditi ſunt Chriſti ſpiritu: ij nempe, qui piæ ſanæq;, quam ipſi profitentur, doctrinæ Lutheranæ aſſertores ſunt: contra, uniuerſos ſatanæ filios, qui illi doctrinæ bellum indixerunt: qui nihil intentatum relinquunt, quo Lutheri illud ſacroſanctum extinguatur euangelium.

Sed quæ tandem hec noua, & prodigioſa forma foret celebrandæ ſynodi, ubi nemo eſſet, qui indiceret ſynodum? Affirmat Bucerus, quod cum ſcriptura non conuenit, quod non eſt traditum ab initio & obſeruatum bonis eccleſiæ temporibus, id admittere, nec ius nec fas eſſe: contra quod docuit & inſtituit Chriſtus, cum per ſe, tum per Apoſtolos ſuos, quod religioſe coluit pia antiquitas, id amplecti & conſectari eſſe prorſus neceſſarium. Ad quod axioma ſuum ſi

um ſi hanc,quam ſomniat, ſynodum ſuam expende-rit,certum eſt, quod non inueniet iſtius & modi, & formæ,aut traditam ab initio,aut obſeruatam bonis eccleſiæ temporibus:& proinde ut nunc admittatur, nec ius nec fas eſſe. Quis enim unq̃ audiuit de ſyno-do,quæ nullius autoritate cōuocata eſt,ſed ad quam ſeſe ultro ingeſſere pauci quidam,qui ſe dicerent dei filios,& Chriſti ſpiritu agi, & in ea ſibi uendicarent omnia,& exturbarent cæteros,ſua ſibi autoritate ar-rogarent in controuerſiis religionis definiendi, ſtatu-endiq; autoritatem & iudicium? Et quo tandem lo-co,ubi nemo eſſet, qui publica autoritate indiceret ſy nodum: quo deniq; tempore conuenirent hij dei filii, quos Bucerus ſomniat? ut ſcire poſſet Germanica na tio,conueniſſe hos alicubi ad celebrandam ob cau-ſam religionis ſynodum? Nihil enim horum ne ima-ginari quidem foret, ubi nemo eſſet, apud quem in-dicendæ ſynodi iſtiuſmodi publica foret autoritas. Proinde,ut penes aliquem aut aliquos Bucerus eam autoritatem patiatur fore,& ſuos hos dei filios doce at modeſtius agere,non ſeipſos inquirere, agnoſcere & complecti,nec ſua ſe autoritate ingerere in uniuer-ſa,ſua ſibi autoritate uſurpare omnia, ſed expectare, dum conuocentur,dum eis mandetur agendum ali-

P quid,

qui[illegible],eſt plane neceſſarium,

Penes quem igitur Bucere permiſſa iſta erit autoritas? quandoquidem ut penes aliquem ſit, id omnino oportet. At ipſe ſummos ſacerdotes, Pontifices & Epiſcopos ab hoc iure prorſus excludit, & alienos pronunciat, quod non cum Luthero & ſymmiſtis eius colligant, & proinde ſpargere cum ſatana eos pronūciat. Penes quē igitur? Puto, quod p̄ter Imperatorē Carolum, præſertim in indicēda ſynodo nationis Germanicæ, neminem comminiſci poterit. Niſi forte nec illum ſolum uelit, ſed uniuerſos Imperij principes Electores illi ſocios adhibeat. Et hos omnes, unde certo nobis conſtabit eſſe Dei filios, & Chriſti ſpiritu actos, aliorum quoque Dei filiorum certam notitiam habere, & eoſdem a non Dei filiis diſcernere, ut hos deuitent & caueant in hoc negocio, illos conuocent, & agendæ rei ſummam iiſdem committant? Hoc ſcio, Imperatorem pro ſua modeſtia non præſumpturum, ut ſe Dei filium certo ſtatuat. Et quamuis dicere poſſet cum Apoſtolo: Nihil mihi cōſcius ſum: dicturum nihilominus cum eodem: Non tamen in hoc iuſtificatus ſum: ſed ad do

mi-

minum ea in re ſpectare certum iudicium. Multo mi nus ante tempus præſumpturum ipſum iudicium eiuſmodi de aliјs, aduerſus diuinum præceptum & Apoſtolicū: nec puto ipſum de Luthero, Philippo, Bucero, cæteriſque ſymmiſtis eorum, hoc conſtitu tum penes ſe, certumq; habere, quod Dei ſint filij, & in his, quæ agunt, & egerunt, Chriſti agantur ſpiritu. Periclitarentur ergo, ne & ipſi admitterentur in hanc ſynodū, in qua ſe pene totos regnare oportere, & eo rum præſcripto agi omnia, ipſi iam penes ſe uelut cer to ſtatuerunt, nec ſe pretermiſſis, agnoſcerent celebra tā legitime, & æque, ut cæteras uniuerſas, quæ ipſis aduerſantur, impugnarēt ut impiam. Quod ſi non ad unum Imperatorē, ſed ad multos, nempe ad uniuer ſos Imperii Electores & cæteros principes, hanc in dicendi conuocandiq;, (quam Bucerus ſomniat) filio rum Dei ſynodum, autoritatem detulerimus, multo incertiora faciemus omnia. Quis enim de his tā mul tis nos certos faciet, omnes eſſe Dei filios? Inter quos utinam non eſſent multi, quos uita publica nō magis coargueret de contrario. Et hij tam multi, tam diſ crepantes & diuerſi, quid conſonum ſtatuere pote runt de Dei filiis, ex Buceri p̄ſcripto tātum cōuocan dis ad ſynodum, ut recte hos diſcernant, ad quorum

ipſi numerum magna parte non pertinebunt, a cæteris nõ dei filijs? Si eſt uerum, quod tu toties affirmas Bucere, non niſi inter ſolos uere dei filios, & q Chriſti ſpiritu aguntur, in his, quæ ad religionem pertinent, ullam poſſe conſenſionem conſtitui: quin imo his cum cæteris omnibus irreconciliabile & irremiſſibile bellum neceſſario geri, iam ſpem nobis oẽm adimis, ut ex tua ſententia feliciter agi, conſtituique poſſit aliquid in hoc negocio, ſi autoritatem hãc indicendi, conuocandiq; ſynodum, in tam multos, tamq; diuerſos, diſcrepantesq; contuleris. Quod ſi in unius Imperatoris autoritate acquieſceres, ita quidẽ cauſæ conſuleres magis, ſed uereor, ne etiam non oñia ſuccederent ex tua ſententia, ob rationes, quas paulo ante attulimus.

Vt autem quacunq; felici fortuna in unum conuenirẽt ſoli hij dei filii, ut ipſis ſolis, a cæteris omnibus, ultro deferreretur uniuerſa hæc ſynodalis autoritas, utq; omnes libenter ſe ſubmitterent eorum ſentẽtiæ, definitioni, & iudicio in his, quæ ad religionem pertinent: qua tamen ratione ueriſimile erit, hos tanto negocio tractando fore idoneos? Neq; enim continuo uniuerſi dei filii (ut quos fere magis inter idiotas &

ſim-

ſimplices,q̃ inter egregie doctos, eruditosq; inueni-
es)huic erunt negocio tractando idonei. Hos tamen
qualeſcunq; alioqui Bucerus cõſtituit in tanti iudicii
ſolio. Hos in Chriſti conuenientes nomine, uult ſcri-
pturas in manus ſumere, & bona fide in illis ſcruta-
ri: In eis ſolis abunde ſe inuenturos, quod ad tollen-
das has controuerſias ſatis erit. Nec ipſe eas(quod
nobis non impie, ut puto, uidetur)in diuerſum ſen-
ſum, a ſuo illo uero & germano facile flexiles, ſed
unum,certum,eumq; certiſſime & familiariſſime do
cere: Non poſſe, quæ a domino commendata atque
inſtituta ſunt,neq; rudes latere,ſi ea,inuocato Chriſti
ſpiritu,in ſcripturis & ſanctorum patrum monumẽ
tis inquirant. Nemini enim petenti fide,non dari a pa
tre cœleſti bonum ſpiritum, nec cuiquã non recludi
mox iſta myſteriorũ Chriſti adyta, quiſquis prece,
& uero faciendæ uoluntatis dei ſtudio, ea pulſaue-
rit. Hæc enim quã ſint a uero aliena, mox demonſtra
bimus: & nemo uno ipſo Bucero horum falſitatem
conuincit euidentius. Quid enim, ſi in ſcripturis tam
clare,tam familiariter ac certo inuenitur expreſſum,
quicquid a domino nobis commendatum,inſtitutũ-
que eſt,ut nec rudes latere poſſint: qui fieri potuit, ut
uos,tu uero precipue Bucere, quam paulo ante ma-

gna autoritate,& audacia publice docuiſti, atque aſſeruiſti cum ſymmiſtis tuis, peſtilentiſſimam Sacramentariorum impietatem, non intellexiſtis, Chriſti euangelio,& conſonæ per eccleſiam fidei,& ſententiæ ab initio aduerſari ex diametro? Certe nobiſcum iam impuguas & execraris eam ſententiam, & errorem ueſtrum publice & ingenue agnoſcis, catholicam nunc ſententiam publice nobiſcum aſſeris. Vnũ igitur ex his aliquod ut ſit neceſſe eſt ut agnoſcatis: uel uos non fuiſſe Dei filios,ſed contra potius actos Antichriſti ſpiritu, quamdiu doceretis tam impia: uel non diligenter admodum uos requiſiuiſſe in ſcripturis,quæ tamen aduerſus clariſſima Chriſti uerba,aduerſus tam certam,tam conſonam orthodoxorum omnium patrum, & totius catholicæ ab initio eccleſiæ ſententiam,præſumebatis publice docere eccleſias:uel denicp,ut ea recte intelligeretis ex ſcripturis & ſanctorum patrum monumentis, non uere & ex fide inuocaſſe uos Chriſti ſpiritum. Oportet enim,ut horum omnium unum ſaltem aliquod agnoſcatis de uobis. Sed uos interrogo,an non eo ipſo tempore,æque ut nunc,certo perſuadebatis uobis, quod eſſetis Dei filij, & Chriſti perfuſi ſpiritu? An uobis non uidebatur, quam publice docebatis(quamuis

uis Chriſti euangelio & catholicæ fidei tam euiden=ter pugnantem) ſententiam cum eiſdem Chriſti euangelio & catholica fide congruere? An non, quod etiam ex fide petiſtis uobis dari a patre cœleſti bonum ſpiritum? Ego certe mihi hæc de uobis perſuadeo. Quis igitur de his, quos nunc producis nobis Dei filios, etiam diuinarum ſcripturarum rudes & idiotas in hoc nos certos faciet, quod etiam quicquid ſibi uidebuntur feciſſe & facere, certam in controuerſijs (quibus religio nũc exagitatur,) nobis ueritatem proferent? quod uobis, quamuis doctis & in ſcripturis uerſatis diligenter, tametſi eadem, quæ hij, omnia de uobis ipſis perſuaſis, nulla ratione contigit.

Hoc ego præcipue de te Bucere admirari cogor, quod tam aliena, tam abſurda, de eccleſia, de forma, ordine, magiſtratibus ſacris, & Hierarchia, (q̃bus a Chriſto tam per ſe, q̃ per Apoſtolos eius, Apoſtolicoſq; uiros ab initio ordinata eſt) tamq; abſona, etiã a communi, eoq; euidenti omnium hominum ſenſu, & imagineris & doceas, etiam quæ a te ipſo haud ſane recte intelligi, certo intelligo.

Recte quidẽ affirmas tu, (aduerſus eos q̃ etiã ſancto=

ctorum patrum tẽporibus a celebratis ſynodis plus fere mali,quã boni exiſtimant allatum eccleſiis, & iꝛdem,ut nunc quoq; fiat, plærisq; rationibus metuꝛunt)etiam duce,magiſtraq; natura hunc ipſorum tiꝛmorem merito coargui,ut quæ ipſa hanc uiam, ratio nemq; demonſtret(dum aliquid turbatur in Repuꝛblica, atq; inter ciues exiſtit diſſenſio)ut uiri aliquot boni,prudentesq; conueniant,& componendi,quod turbatum eſt,& ciues diſſidentes in concordiam redi gendi conſilium captent. Recte, inquam, hæc affirꝛmas tu,ſi modo recte intelligas. Quæ ita demum reꝛcte intelligi exiſtimo,ſi non quorumlibet(qui ſeipſos bonos ciues iudicant)ultro ſeſe ingerentium ad offiꝛcium eiuſmodi,hoc ſit permiſſum arbitrio, ſed ut ilꝛlud ipſum,ad certos aliquot,publica autoritate ſecũꝛdum rationem,& formam eiuſdem Reipublicę eleꝛctos, deſignatos & deſcriptos ciues bonos pertineꝛat. Alioqui,quantam perniciem in eiuſmodi Rempu blicam admitteres, ſi orta in ea graui inter ciues diſꝛſenſiõe de rebus grauiſſimis(unde penderet eius Rei publicæ ſalus & unitas)de magiſtratibus publicis,de communibus,quibus gubernaretur,legibus,de cæteꝛrisq; eiuſmodi licere faceres quibuslibet(qui ſe boꝛnos ciues dicerent)ut inita inter ſe coniuratione & faꝛ

ctione,

ctione, congregarentur per ſe ipſos ad cauſam eiuſmodi: ſuo arbitrio in ea quicq̃ ſtatuerent: publicas leges ad ſuum iudicium cogerent: ſummos in ea magiſtratus abrogarent, & nouam Reipublicæ formam ac faciem introducerent: publica priuata, & priuata publica facerent? An non & cæteri ciues, uere boni, æquali & maiori numero, aduerſus hos ipſos conuenientes, una cum ſummis magiſtratibus, & legibus publicis coniuncti, non hos inſequerentur, ut perduelliones, & ſuæ Reipublicæ hoſtes cõiuratos, & manifeſtarios? Nunquid aut Solon, aut Lycurgus, (& ſi qui alij, probatæ alicuius Reipublicæ, & conſtitutæ in eadem diſciplinæ, autores extiterunt) talem aliquando formam inueniuntur conſtituiſſe Reipublicæ? Nos certe talem autorem habemus Reipublicæ eccleſiaſticæ noſtræ, ut ſi quis iudicet ab eodem non cõſtitutam illi ſuam formam, & ſpeciem ſuo fini cõgruentiſſimam, ſi non prouiſaq; eidem exiſtimet omnia (quæ ad eam ipſam, eiuſq; unitatem conſeruãdam, & ad noxas ab ea omnes, ex quibuſcunq; emergentibus caſibus, facile depellendas, neceſſario pertinere, etiam a nobis euidenter intelliguntur, quamuis homunculis) is talis de eo ipſo eius autore indigne mihi ſentire uidetur. Eſt is autor, infinita & om̃ipotens

Q ſapien-

ſapientia, quam uti nihil omnium ſuæ eccleſiæ neceſſariorum latere potuit, ita ne quid illi omniũ deeſſet, eidem prouidere æque fuit facile: ut qui oĩa, quæcunque uoluit, fecit, & in cœlo & in terra. Et quod abunde prouiderit de omnibus, eiuſdẽ ſtudium erga eandem eccleſiam ſuam (quæ illi fuit cauſa operum ſuorum omnium) non ſinit, ut dubitetur ab aliquo.

Quę uero forma, ut ſpecies eccleſiaſticę Reipublicæ neceſſario cõgruat, etiã humanæ rationis euidentia nõ eſt difficile intelligere, ſiue materiã, ex qua neceſſario coagmentanda erat, & coagmentata cernit, ſiue eius finẽ reſpicias, ad quem neceſſario congruere debet rei forma & ſpecies. Imprimis, eſſe Chriſti eccleſiã, cœtũ ac ſocietatẽ Chriſtifideliũ, ab ipſo Chriſto, Apoſtolorum, diſcipulorũque eius miniſterio, ex omni gẽte, lingua, natione, & populo congregatã, & propagandã in fines orbis & ſæculi, ſicut ipſa rei cui dẽtia nemini obſcurum eſſe ſinit, ita aduerſus iſtorum hominũ impudẽtiã alibi adſtruximus accuratius. Eſſe, inquã, diffuſæ in totũ orbẽ (tã diſſonæ alioqui ac diſcrepantis) multitudinis ſocietatem quandã. Porro ſocietas eiuſmodi inter multos, atque adeo infinitos, tã diſpſos, tam a ſe alioqui alienos, in cæteris omnibus, niſi cõnexio quædam per efficaciſſimum quoddam

unita

unitatis uinculum intercedat, ut ſubſiſteret,& uel ad momentum conſeruaret̃,prorſus imaginari non eſt. Vna tñ ut ſit,& ad finem uſq; neceſſario permaneat, habet Nicenæ fidei quotidie in eccleſijs decãtata cõfeſſio. Quam qsquis ruperit, a ſalute illum alienum eſſe(qualicumq; alioq in deum fide, qualicunq; uita & moribus fuerit,etiãſi pro cõfeſſione Chriſti nominis in mortẽ ſe tradiderit) orthodoxis ab initio omnibus ſp in confeſſo extiut,& ſupra a nobis demonſtratum eſt. Proinde quibus modis eius ſoluat̃ unitas,ut nemo Chriſtifidelis ignorare debet,ne forte ſe credẽs tenere unitatẽ eccleſiæ,extra eandẽ exiſtẽs, ĩ ſtatu damnationis pmaneat: ita facilibus atq; euidẽtibus notis cuiq̃ haud difficulter intelligit̃. Imprimis hoc habet eccleſiaſtica Reſpublica et ſocietas commune cũ ſocietatibus cæteris,q̃d diuerſorum hominum multitudo ſit:hoc in eo ipſo communi differens a cæteris, quod pene infinita ſit. Hoc autem, incommutabili lege ſanciniſſe naturam, ut omnis multitudo (etiamſi inanimata foret,quo in unitatẽ aliquã conciliet̃ et una conſeruetur) neceſſario ordinata ſit, principatum in eo ordine obtinẽte uno aliq̃,quale ἡγεμονικὸν Græci uocãt,ſicut hoc ipſa ubiq; rerꝫ natura in uniuerſis ſuis opib⁹ euidẽter loq̃t,ita ca.ſecũdo li.ij. de Hierarchia

Suas habet notas eccleſia.

eccleſiaſtica (aduerſus eos, qui etiam ad euidentia omnia ultro claudunt uel inuitos oculos) accuratius demonſtrauimus. Maxime uero omnium, uinculo iſtiuſmodi neceſſario conſtringi hominum multitudinem, ut inter illos conſiſtat aliqua, etiam qualiſcunque, ſocialis unitas, aliqua in unum conſpirans unio: quando alioqui unoquoque non ſolum proprium aliquod, uerum & liberum habente arbitrium, ſi nō obſequatur ἡγεμονικοῦ alicuius autoritati & imperio, & ſuo ordini, ſuis legibus pareat, nullam tñ formam ſocialis alicuius unitatis, uel ad momentum in ea conſeruari poſſe, res & ipſa loquitur in ſingulis, & notius eſt, q̃ ut a quoquam dubitari poſſit aut debeat. Proinde etiam ſuam ipſius eccleſiam nūc ſub Regni, nūc ſub nobiliſſimæ cuiuſdam, ac diligenter cōſtitutæ ciuitatis, nūc etiam ſub domus forma & ſpecie, ille ipſe eius architectus nobis producit & commendat. Eandem eccleſiam Apoſtolus immenſi animantis alicuius corpori aptiſſime comparat, quod ex multis mēbris in ſolidam aliquam unitatem ſit compoſitum, conſpirantibus ad communem totius corporis, atque ad mutuam utilitatem in unum ſingulis. Porro in uno animantis corpore niſi unum eſſet motiuum principium membrorum omnium, nunq̃ in unum, aut totius

tius utilitatem conſpirarent omnia: ſed uno hac, alio mouente in contrarium, foret ſchiſma in corpore, & membra ſeſe impedirent mutuo, nec ullum aſſequeretur, quod uellet, proprium. Itaq; ut in omni humanæ ſocietatis genere, niſi ea ordine certo, & ad ſuum finem proprium commodo, in unum contineatur, & ſit qui præſit, cuius dicto ſint audientes cæteri: nec ad momentum, unitatem & concordiam cõſeruari poſſe, res ipſa loquitur. Ita & Chriſti eccleſiã hoc ipſum neceſſario habere commune cum ſocietatibus cæteris, imo magis neceſſarium præ cæteris, eadem ratio demonſtrat. Tanto, inquam, magis neceſſarium, quo magis numeroſam in ſe multitudinem cõplectitur. Quo enim eſt corpus uaſtius, & membrorum, quæ colligari deſiderant, multitudo immenſior, eo efficaciori, fortiorìq; uinculo, quo contineatur in unum, neceſſario indiget. Eſt enim immenſa, atq; adeo infinita in uniuerſum orbem diffuſa, quæ nullo alioqui ciuili uinculo continetur, multitudo fidelium. Porro uinculi iſtius efficaciam in ordine diligentiſſime conſtituto, & q̃ fieri potuit in arctiſſimam unitatem ſub unius principantis habenis, & imperio redacto conſiſtere, æque euidenti ratione intelligitur. Nam ſi ordinis, & unitatis in eo principantis efficacia, multitu-

dinem in unum cõtinet: magis utiq; cõtinebit, q̊ & il le diligentius cõſtitutus, & in maiorem unitatem re- dactus erit. Vt plane certũ ſit, ſiue in ipſam rerũ rõ- nẽ cõiiciamus mẽtis oculos: ſiue cœleſtiũ illorũ cor porũ admirabilẽ, & pulcherrimũ ordinẽ, quem alibi explicauimus: ſiue cœleſtẽ illã Hierarchiã, ut eius de liniationẽ quandã, & e diuinis ſcripturis, & a ſancto rum patrum diuinitus illuminatorũ monumentis cõ cipere qualitercumq; poſſumus: ſiue deniq; ipſam to tius naturæ tenorem conſideremus attentius, cõſona uoce hoc ipſum nobis loquentibus om̃ibus, omnem multitudinem eo rectius, ac felicius degere, quo ma- gis per unius igemonici efficaciſſimum impium, in arctiſſimam, q̃ fieri poteſt, unitatem redacta eſt. In q̃ ſocietatis genere, ſi quid nonnũq̃ occurrat, q̃d quem poſſit offendere, ac reprehenſione dignum ſit, id ho- minum uitio, etiam rebus & optimis & omnino ne- ceſſarijs abutentium, non autem ex ipſa ſocietatis ra- tione (quam eſſe conſtat perfectiſſimam oĩm) oriri certum eſt. Et hactenus quibus rebus cõſtet, & con- tineatur eccleſiaſticæ ſocietati illa tã neceſſaria uni- tas, ex his q̃ habet communia cum ſocietatibus cæte- ris, ex materia, inq̃, ſua ex qua coagmentãda erat, & coagmentata cernitur, nemo eſt qui non intelligat. Sed nõ habẽt ſocietates oẽs humanę eandẽ formã ac

ſpeciẽ, q̃ ex rei cuiuſq; fine p̃ſcribit̃, & cũ eo ut exa-
ćte cõgruat neceſſe eſt. Queadmodũ ad eiuſdẽ finis
modũ prçſcribit̃ autoritas, q̃ igemonico in unaquaq;
ſocietatis forma, & ſpecie cõgruit. Neq; em̃ eadẽ for
ma & ſpecies, neq; eadẽ igemonici autoritas cõgruit
om̃ibus, ſed uarietas hæc, ut diximus, ex cuiuſq; fine
dependet. Abſq; ordine nulla ſubſiſtit humana ſocie
tas, nec ullus eſt ordo, ſi non redigat̃ ad principiũ, &
caput aliquod: ſed cuiq; ſocietati ſuus ordo, cuiq; or
dini ſuum principiũ erat neceſſariũ. Et cuiq; capiti ac
principio ſua autoritas ad finẽ ſuę ſocietatis congrua.
Habet una domus mẽbra uaria, ordinata ſub unius
patrisfamilias autoritate & imperio: q̃, ea ratio in u-
nũ cõciliat, ut cõmodius educent̃ liberi, & rebus ne-
ceſſarijs om̃ibus prouiſi & cõmuniti, in eadẽ domo,
eiſdẽq; parietibus, & tectis multi conuiuãt melius &
ſecurius. Ad quem finem quæcunq; recta præſcribit
ratio, ad autoritatem patrisfamilias neceſſario perti-
nẽt. In qbus reliq̃s eiusdẽ familiæ om̃es, in ſuo quẽq;
gradu atque ordine, illi obedire oportet: ut ſi uxori
prçcipiat, q̃ uxorẽ non dedeceãt: ſi filijs, ad rationem
eãdẽ: ſi famulis, ſeruis, ancillis, oẽs dicto eius audien
tes eẽ cõuenit, et naturali, diuinaq; lege, ut ſint, adſtrin
gũtur. Secus uero, ſi omnino iniqua præciperet, aut
etiam,

etiam, ſi ſuæ autoritatis limites plane excederet. Iniqua præcipere intelligendus foret, non ſolum ſi contraria ijs, quibus ipſe ſubeſt, poteſtatibus ſuperioribus præciperet, hoc eſt, Deo, eccleſiæ, & quibus ipſe quoq; ſubijcitur, ciuilibus publicisq; magiſtratibus: ſed etiam, ſi ordinis, perſonarumq; rationem in ſuis præceptis non obſeruat: ut ſi uxorem ad ancillarũ humilitatem deijciat, atq; illi indigna præcipiat, quę ſeruorum forent: ſi & his quoq;, quæcunq; præſcriberet, non recta dictaret ratio, ſed aut furor potius quidam atq; indiſcretio, aut petulantia: aut ſi uirium in his, aut humanæ conditionis rationem iuſtam, nō haberet. Omnino uero limites ſuæ poteſtatis tranſgrederetur, ſi quid præciperet, quod plane foret præter rationem domeſticam. Nec quid refert, bonum malumve id foret: aut quod ab alio igemonico, in alia ſocietatis ſpecie idem imperatum, teneremur exequi. Hoc enim præcipienti patrifamilias, uxor, liberi, ſerui, ancillæ obedientiam non deberent, ut ſi eiſdem aut ieiunia, aut eiuſmodi pœnitentiæ opera præſcriberet præter ea, ad quæ Dei, aut eccleſiæ præcepto alligãtur. Hæc enim ad alterius formæ ſocietatem, & principantis in ea autoritatem, pertinent. Quemadmodum & ciuilibus magiſtratibus pro Reipublicæ ſalute,

ſute, aut Imperatori in acie p̃cipientibus, multa præſtare teneretur filiusfamilias, quæ non teneretur iubente patre ut eiuſmodi. Secũdum exemplum iſtud, qualia ſint in ſingulis humanis ſocietatibus, & quid in quoque ordine ſuperioribus noſtris debeamus, ipſam formam, ſpeciemq́ ſocietatis, in qua ſuperiores ſunt, æſtimanti, iudicare difficile non eſt: ſi modo rationis regulam prauus affectus non obliquat, aut uiciat. Nam ſuam cuiq; ſocietati formã ac ſpeciem præſcribit finis, ob quem ea ipſa contracta eſt. Qui eſt regula & ſcopus, in quem perpetuo reſpicere debet præſidentis autoritas: adeo ut quicquid manifeſte præter illum eſt, multo magis ſi ab eo abducat etiam, manifeſtum eſt ad eius autoritatem non pertinere, nec eidem p̃cipienti obedientiam deberi a ſubditis.

Itaq; qui ad hanc rationem pergit expendere catholicæ Chriſti eccleſiæ formam, & ſpeciem: uniuerſum etiam autoritatis modum, quæ igemonico ac principanti in eadem neceſſario competit, facile intelligit. Demonſtrauit ſuperior ratio, ut ordine arctiſſimo, ac diligentiſſime conſtituto, ſub unius igemonici & rectoris efficaciſſimo imperio colligata, in unum neceſſario cõnecti debuerit. Sed ordinis ſpeciem, formamq;

mamq; & modũ autoritatis in eadẽ præſidis ıgem̃o nici, necdũ aperuit. Vtrunq; ex fine eiuſdẽ intelligetur facile. Qui finis eſt, ut legẽ fidẽq; Chriſti, quam edocti a ſpũ ſctõ Apoſtoli, uiua doctrina tradiderũt eccleſijs, in finẽ uſq; incorruptã conſeruemus, quẽad modũ eſt tradita ab initio: utq; in his, quæ ad Chriſti fidẽ religionẽque ptinẽt, idẽ perpetuo dicamus, teneamusq; omes, et conſona pietate honorificemus deũ: ut in fide Chriſti, & in dei præceptis ſuo modo recte inſtituti Chriſtifideles omes, & ſacramentorũ, q̃ nobis ad ſalutẽ & remediũ relicta ſunt, participatione muniti, his medijs aſſequamur una cœleſtem illã, ad quam per Chriſtũ uocati ſumus, & cuius ipſe nos ſibi cohęredes effecit) æternæ felicitatis hæreditatem. Hic, inq̃, finis eſt ſocietatis eccleſiaſticæ, ex quo mox intelligitur eiuſdẽ forma & ſpecies neceſſaria, qualis ab initio ad nũc uſque fuiſſe cõſpicitur. Imprimis eñ hoc quiuis intelligit, in hac ſocietate tã immenſa, quo eius conſeruetur unitas, & ſui illius finis compos euadat, fuiſſe neceſſariũ, ut multis ſacrorũ miniſtris, & qui plebi tã infinitæ, tã a ſe in uniuerſum orbẽ diſperſæ, erudiẽdæ, ac gubernãdæ ſuperintẽderent, multis diaconis, presbyteris, & eccleſiarũ rectoribus ac paſtoribus dirigeretur. Intelligit quoque lector, eũ hãc

Finis eccleſiaſticę ſocietatis.

mis

miniſtroꝝ, rectoꝝ, paſtorũque multitudinẽ neceſſario ad unitatẽ paulatim, gradatimq; redigi oportere, & oẽs ſubeſſe unius tandẽ igemonici totius eccleſiaſticę ſocietatis rectoris efficaciſſimæ autoritati, in his uidelicet, q̃ ad finẽ eiuſdẽ ſocietatis pertinent. Formã itaque ac ſpeciẽ eccleſię uidemus, q̃lis ab initio ad nos uſque perdurãs, iãdudũ ab aduerſariis labefactari cœpta eſt: arctiſſimã nẽpe ſocietatẽ Chriſtifideliũ omĩum in his, q̃ ad uerã religionem pertinẽt, uariis miniſtroꝝ, presbyteroꝝ, paſtoꝝ, Epiſcoporũ, Archiepiſcoporũ, primatumque ordinibus (ut in tã immenſo corpore omnino erat neceſſarium) ad unũ ſummum Pontificẽ, totius eccleſiæ paſtorem ac pręſidem, decentiſſime ordinatã. Cui p̃ſidi, ut in cęteris quoq; humanaꝝ ſocietatum formis, ad ſuũ modũ cuiuſq; igemonico, neceſſario cõueniebat tantã autoritatẽ habere, q̃ta illi ad continendos om̃es in officio, ad conſeruandã in ſua unitate, & mẽbrorum ſympathia, conſpirationeque, ſuã hãc ſocietatem eccleſiaſticã, & in ea publicam in omnes diſciplinam conſeruandã, breuiter quanta ad uniuerſam feliciter in ſuum illum finem dirigendam erat neceſſaria.

Nec de hoc quiſquã dubitare poteſt, quin eidem

 ne-

neceſſario conueniat, quod & in aliis uniuerſis humanarum ſocietatum formis, ſuo cuiuſq; igemonico conuenire ipſa rei euidentia loquitur: nempe, ut ſi inter eiuſdem ſocietatis membra oriantur contentiones aliquæ & controuerſiæ, præſertim quæ ad finē eiuſdem ſocietatis proprie pertineant, eæ decidantur autoritate igemonici, cum adiuncto ſibi ſeniorum, prudentiumq; conſilio, quos, quotue, ad eaſdem aſſumere ſibi utile uidebitur, ita enim habet omnis alia humanæ ſocietatis forma ac ſpecies. Itaq;, quando omnes homines ſumus, & cum hominibus uiuimus, ſuboriri ſubinde inter nos quæſtiones & controuerſias erat neceſſarium, non ſolum inter plebeos & ſimplices, ſed multo magis inter eccleſiarum rectores & præpoſitos, de his quæ ad doctrinam religionis, fideiq; Chriſti pertinent. Ne igitur his ipſis inter ſe pertinaciter diſſidentibus, unuſquiſq; ad ſe rapiens eccleſiam Chriſti, eius unitatem ſcinderet, hoc plane quiuis neceſſarium intelligit, ut horum omnium ſumma autoritas eſſet penes unum totius eccleſiæ præſidem: ad quem tandem referretur eiuſmodi omnis quæſtio & controuerſia, quæcunq; ad Chriſti fidem, religionem, breuiter ad eccleſiaſticæ ſocietatis finē, quomodocunq; pertineret: cuius ſacroſanctum

de

de his omnibus apud omnes haberetur iudicium. Sine quo, perpetuis & inextricabilibus quæſtionibus, cõtrouerſijs, & pugnis, perpetuo plena foret domus eccleſiaſtica: & tot eſſent, tamq; diſſonantes de fide & religione ſententiæ, quot ſunt in eccleſia, & quã diuerſa, capita.

Vniuerſa hæc de Chriſti eccleſia, de eius forma, ſpecie, ordine, igemonici in ea præſidis unitate, & efficaciſſima, & ſacroſancta autoritate in prædictis omnibus, utq; ſine his non poſſit uel ad momentum ſubſiſtere, unusquilibet noſtrum, quamuis non admodum ſubtili ingenio, ex communibus rerum rationibus (ut iam palam fecimus) haud difficulter intelligit. Quãto magis ea ipſa intelligebat ille eius architectus & conditor, dei oĩpotens ſapientia, quã ut nihil eorum omnium latere, aut fallere potuit: ita nulla difficultas eidem fuit, quo minus eccleſiæ ſuæ prouideret de neceſſarijs omnibus. Vt uero ſciens illi defuerit in tam neceſſarijs infinita eius bonitas, & effuſus in eandem amoris affectus, quem ſuo precioſo ſanguine, & morte amariſſima ſatis conteſtatum fecit, non ſolum ut credamus non ſinit, ſed contra potius, ut diligentiſſime & abunde illi prouiderit de neceſſa-

rijs, & utilibus omnibus, certiſſimo perſuadet. Cui qui cernit ſubſcribere ipſam rei euidentiam, & uidet tali forma, ac facie fuiſſe ab initio diligentiſſime ordinatam uarijs miniſtrorum, officiorum, presbyterorum, paſtorum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, primatum, gradibus & ordinibus, per quos totius eccleſiaſticæ ſocietatis quamuis infinita immenſitas, unius prȩſidis autoritatem & imperium perſentiſceret & ſympathię, obedientiæcꝫ ſenſum uiciſſim redderet: Qui, inquam, tali forma & ſpecie uident, fuiſſe eccleſiam ab initio: Qui ita deliniatam eandem a ſuo illo architecto in ueteri populo, longe antequam fieret: hij nec quicquam habent, quod in his dubitare debeant, cur in monte & in clariſſima luce poſitam eccleſiam, atcꝫ eius faciem, formamcꝫ omnibus euidenter conſpicuam inuoluere queant, & obſcurare pluſcꝫ Cymmeriis tenebris: cur nouã illi, ſed abſurdiſſimam faciem affingere, qualem ſane nec ipſi explicare poſſunt, nec quam uelint intelligunt: cur in compoſitam ad ſummam unitatem & pacem, & ad extirpãdas ſubortas in ea uniuerſas quæſtiones & cõtrouerſias cõueniẽtiſſime prouiſã, & efficaciſſime armatã, non ſolum introducere ſtudeant bella irremiſſibilia, & irreconciliabilia, ſed etiam ſuis illis ornamentis, &

prȩſi-

prǽſidijs ſpoliare, & efficere, ut ſubortis (quæ oriun-
tur quotidie) cõtrouerſijs ac diſſidijs eiuſmodi, igno-
remus quo pacto, & cuius autoritate, definitione, &
iudicio, ea componi oporteat, ſed totus orbis, tam
multis annis per ea inquietari & concuti debeat: imo
ut horum nullus unquam modus & finis ſit, eiuſmo
di ſomniorum ſuorum portenta, de celebrandis eius
cauſa ſynodis nobis proponentes, quæ ipſi nec expli
care poſſent, nec intelligunt. Et quæ tandem Bucere
hæc eſt rei indignitas, quæ tua non impudentia? ut ex
decentiſſime ordinata, formataq; a ſuo illo opifice &
in tam clara luce poſita & conſpicua (ut eam etiam
ſi nolis ſubinde, qualis eſt, intueri cogaris) orationis
tuæ tenebris inuolutam, tali nobis forma producere
conaris, ut eius me puderet, ſi ego illi autor adſcribe-
rer. Adeo nemo noſtrum eſt, qui nõ infinito conueni
entiorem illi formam, ſaltem cogitatione affingeret,
quam ſub qua a te producitur.

Diuinus ille ſpiritus in populo ueteri (quo noſtrã
quodammodo deliniauit, adumbrauitq; eccleſiã) tã-
etſi quæ ad legem & religionem pertinebant uni-
uerſa illis ſcripto diligentiſſime explicanda curaue-
rat: exorientes nihilominus inter illos quæſtiones &

con-

controuerſias circa legem, cæremonias, & alia grauio-
ra negocia, uiua aliqua autoritate definiri uolebat:
quippe ſciens niſi uiua autoritate componi non poſſe
eiuſmodi. Et primum quidem, ad inferiores, & ſub-
alternos in ſingulis ciuitatibus conſtitutos harum re-
rum iudices, ex Leuitis et presbyteris aut ſacerdotibus,
referri eas ipſas uolebat. Per quos plane conſentien-
tes, ſi forte plena inter altercantes fuiſſet compoſita
concordia, nihil opus erat alio referri eiuſmodi quæ-
ſtiones & iudicia. At ſi uel non ſatis conueniebat in-
ter ipſos iudices, uel altercantes animoſiores eſſent,
quã ut ſuis utrinque opiniõibus facile cederẽt, iuſſi ſunt
ad ultimum & ſupremum tribunal referre negociũ,
quod penes ſummum ſacerdotem, & Põtificem ma-
ximum erat, una cum concilio ſacerdotum & Leuita-
rum, ſecum una pro uicis ſuæ tempore miniſtrãtium
domino in loco, quem ipſe inter eos elegerat & ſingu-
lariter coli uolebat, præcipiens altercantibus eiuſmo-
di, ut facerent iuxta uerbum, qualecunque demum an-
nunciarent illi de loco, quem elegerat dominus, in quo
tum conſeruabatur uetus illa Moſi cathedra. Neque
ſatis habuit idipſum ſemel, uelut obiter aut negligen-
ter uideri pręcepiſſe, ſed addidit: Et cuſtodies ualde,
ut facias ſecundum omnia, quæ te docuerint: Magnã

uidelicet

videlicet a nobis in obediẽtia ſollicitudinem & ſingularem diligentiam requirens: nec quicquam excipiens omnium, ſed in omnibus, eorum nos ſententiæ & iudicio abſq; vlla diſcuſſione ſubijciens. Et quaſi non ſatis habuerit etiam ſecundo hæc nobis diligenter commendaſſe atq; ingeſſiſſe, addidit tertio: Iuxta legem, quã docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi, ſimpliciter facies: Nec diſcedes a verbo, quod annunciauerunt tibi, ad dextram neq; ad ſiniſtram. Addidit poſtremo etiam mortis pœnam in contemptorem ſacroſanctæ autoritatis ſacerdotis ſummi præſidis cathedræ. Qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire imperio ſacerdotis præſidis cathedræ, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael.

Hæc vniuerſa ita diligenter conſtituiſſe veteri illi populo diuinum ſpiritum, tametſi ex vulgata noſtra lectione, quibus hæc corrumpant, nõnullam anſam inuenerint, ſed frigidam admodum, veritatis hoſtes & aduerſarij, cap. iij. lib. iiij. de Hierarchia eccleſiaſtica, & alijs plærisq; locis, euidentiſſime demonſtrauimus.

Sed ne cuiquã hic humanæ conditionis memori,humana quoq; cogitatione occurrat,etiam homines eſſe ſummum ſacerdotem ac Pontificem,præſidem cathedræ & ſacerdotum,Leuitarũq; cõcilium vna ſecum miniſtrantium dño: eſſe & peccatores, infirmitate,vt nos,& errore circundatos:poſſe proinde & falli & fallere,& mendacium nobis pro veritate ſuggerere, quod ſequentes cæci cæcos duces vna cum eiſdẽ præcipitaremur in foueam: hic ſuã nobis prouidentiam,qua ſuam eccleſiam ſingulari cura gubernat,& quod humanis viribus deeſt,ipſe per cõſtitutos nobis ſacroſanctos illos magiſtratus ſuos,ſuppleat (qualicunq; alioqui vita fuerint) vtilitatis & publicæ neceſſitatis eccleſiæ ſuæ, non vitæ illorum,aut perſonalis meriti hac in re reſpectũ habens. Hæc idem ille diuinus ſpiritus nobis cõmendat, & vniuerſa hac ſollicitudine liberat: affirmans fore,& nos ſecuros faciens,illos ipſos (nempe Pontificem maximum,cathedræ præſidem, cum ſacerdotali concilio vna ſecũ ſeruientiũ dño) qualeſcũq; alioqui fuerint,iudicaturos eſſe controuertentibus, & veritatem apud eos requirẽtibus,ipſam quæſitæ & controuerſæ rei veritatẽ. Qui iudicabunt,inquit, tibi iudicij veritatẽ. Proinde iudicij, definitionis & ſenten-

ſententiæ eorum, omnem nobis ademit diſcuſſionem, retractationem & iudiciũ, ſed abſolute obſequendi neceſſitatem impoſuit: nec vitæ, ſed ſacroſancti, quẽ pro publica totius eccleſiæ neceſſitate gerant, magiſtratus, dignitatis, autoritatiſque rationem a nobis haberi voluit: nec vitã illorum noſtro ſubiecit iudicio (vt quos ipſe nobis conſtituit iudices) ſed ſuo vnius illos ſeruauit iudicio. Itaque contumacem oẽm inobedientiã aduerſus imperium ſacerdotis præſidis cathedræ, mortis ſupplicio puniri voluit. Nõ dicit ſacerdotis boni, ſancti, & qui imperat, quæ ſecundum legem Dei ſunt, ſed ſimpliciter, vt audiſti. Quorum vita etiã ſi euidenter vicioſa & ſcandaloſa fuerit (qualis erat ſcribarum & phariſæorum, quos Chriſtus notat ſuo tempore præſides cathedræ) nec hoc te releuat, eodem ipſo doctore Chriſto, quin eiſdem humilem obedientiam debeas, propterea quod præſident cathedræ. Super cathedram Moſi ſederunt, inquit, eiuſmodi tales, quales ipſe depinxerat, ſcribæ et phariſæi. Quid igitur dicturum exiſtimas? an propterea obedientiam a nobis illis nõ deberi? an non annunciaturos nobis quæſitæ rei veritatem, ob vitæ propriæ indignitatem ac demeritum? nec proinde teneri nos ſequi eorum definitionem & iudi-

cia: Imo contra prorſus omnia. Ergo, inquit, omnia quæcunque vobis dixerint, ſeruate & facite. Ideo, ſeruate omnia, quæcunque vobis dixerint, quia ſupra cathedram ſedent: nõ quia ſancti & boni viri ſunt. Quorum vitæ exemplum ita vitare debes, vt nihilominus ſacroſancti magiſtratus autoritatem, ad publicam eccleſiæ vtilitatem in eiſdem reuerearc & agnoſcas. In cuius totius perniciem tendit ob procliuitatem exempli in alios, etiam ſi vnius aduerſus ſummi ſacerdotis autoritatem inulta tranſeatur cõtumax inobedientia. Vt auferas, inquit, malum, perniciem & ſcandalum de medio Iſrael, vniuerſæ nẽpe eccleſiæ: & cæteri ſupplicij exemplo territi diſcãt non ſuperbire, ſed humilẽ illi obedientiam deferre.

Quin & hoc voluit diuinus ſpiritus: quam ipſe congregauit, ordinauit, et formauit ſocietatẽ eccleſiaſticam, differre a ſocietatibus cæteris, quas vtilitatis aut neceſſitatis publicæ cauſa inter ſe conciliarunt homines: vt quãuis etiam in his, quamdiu earundem pars ſumus, obedire teneamur præceptis ſuperiorũ noſtrorum, etiam coram Deo (modo prorſus non aberrarẽt a fine ſocietatis, in qua præſident, quo caſu non teneremur præcipientibus illis obſeq.) In illa tamen

men ſua, non vult a nobis diſcuti præcepta ſummi magiſtratus, quem ipſe in ea cõſtituit, ſed velut ſua ipſius a nobis accipi & haberi. Et proinde, vt audiſti, præcepit, ne in vllam ab eis partem declinaremus, nec ad dextram nec ad ſiniſtram: ſed ſollicite cuſtodiremus, vt faceremus ſecũdum omnia, quæcunq; nobis dicerent: tametſi prohibeat eorum opera, vt ſequaris, attendere. Quando ipſe ſingulariter adeſt illis in his, quæ ad officium eorum pertinent, pro neceſſitate ſuæ eccleſiæ.

Hæc eſt Bucere eccleſiæ noſtræ forma et ſpecies, plana, explicata, decora, efficax, ſolida, vere digna ſuo illo opifice, omnipotenti, infinitaq; Dei ſapientia. Qua quidẽ vna, quamuis inter homines et peccatores homines (quales ſubinde ſumus vniuerſi in vniuerſis ordinibus eccleſiæ) in tam immenſa toto orbe diffuſa multitudine Chriſtifidelium, cõſeruari poteſt vnitas, pax & concordia: conſeruari diſciplina publica: contineri vniuerſa tam vaſti corporis membra, in ſympathia, in cõſpiratione in mutuam et totius vtilitatẽ, et in ſuo quodq; officio. Eandem, vt audiſti, etiam in illius veteris populi eccleſia conſtituit, vt in ea noſtram, qualem eam cõditurus eſſet, velut deliniatione quadam exprimeret. Ean-

dem conſtituiſſe in noſtra, ipſa rei euidentia loquitur, vt quæ tali forma & ſpecie ab initio ſemper cōſpicua extitit. Atq; ita conſtitutam a Chriſto (ſi modo is autor eſt ſuæ eccleſiæ) & non ab homnibus, toto ſemper orbe orthodoxi omnes veriſſime intellexerunt. De quo ne quis omnino dubitare poſſit, eidem ipſi ſingulari curę fuiſſe videtur. Nam cū Apoſtoli (quæ eſt corruptæ humanæ naturæ ambitio) in hoc Chriſti regno, quod idem ipſe nuſq̄ non in ore habebat, nec illi, quale futurum foret, intelligebant, fere omnes primatum ambirent, in omnium Apoſtolorū præſentia clariſſimis verbis deſignauit Petrum, cui eundem commiſſurus eſſet. Et cum illi nomē ante fuiſſet Simoni Ionæ filio, ipſum Cepham appellauit: quod Latine ſaxū quoddam ingens, ingentem petram, rupem, aut ſcopulum di xeris, immenſo alicui ferendo ædificio idoneum. Vnde & Ioſephus in ſua Hieroſolymitani belli hiſtoria, ſcopuloſum quēdam collem, vnde Hieroſolyma libere conſpicua, etiam grauiter vrgebatur ab obſidentibus Romanis, Cepham dicit fuiſſe appel latum. Hoc nomen Simoni dominus impoſuit, atque addidit, ſuper illam ædificaturum ſe eccleſiam ſuam, aduerſus quam inferorum portæ prævalitu

ræ non

ræ non forent. Quibus paucis verbis, & quæ foret eccleſiæ ſuæ cum illa petra, rupe, aut Cepha connexio, & quæ cõditio earum, quæ ſe diuiſiſſent ab eodem, clariſſime expreſſit. Nam eam vnitatem & connexionem eccleſiæ ſuæ ad Petrum innuit, qualis eſt ad ſuum fundamentum ædificij: ad cuius vnitatem euidenter non pertinet, quicquid a fundamento eius diuiſum, ſeparatũq; exiſtit. Deinde eius vnius eccleſiæ Petro vnitæ cuſtodiam ſibi curæ fore ſignificat, nec inferorum portis aliquando cõcluſam eam iri, nec illos in eandem, vt ſuam, ſibiq; dedititiorum liberã poteſtatem obtenturos: ſed quicunque in eadem permanẽt, ſub regno Chriſti, non inferorũ permanere, tametſi peccatores ſint: cũ contra, quotq̃t eccleſiæ ab illa ſe petra diuiſere, eas ipſas inferorum portis concluſas, & membra eſſe regni ſatanæ, in quos ille liberũ imperium obtinet, clariſſime ſignificet. Nam qui intra alicuius munitiones et portas incluſi cõtinentur, in libera eius ſunt poteſtate et arbitrio. In libera proinde poteſtate ſatanæ, in eius regno, ditione & portis incluſi tenentur, ſi Chriſto credimus, quicunq; ſe diuiſerunt ab vnitate catholicæ eccleſiæ: nec illi Cephæ vniuntur, ſupra quem Chriſtus affirmauit ædificaturum ſe eccleſiã ſuam.

Per-

Pergit autem Chriſtus ad eũdem illum Cepham: Et tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum, hoc eſt, regni mei, eccleſiæ meę, quam bis vicies regnum cœlorum appellat. Promittit Petro daturum ſe claues regni ſui, hoc eſt, gubernandi, regendiq́ autoritatē, quæ in metaphora clauium rectiſſime exprimitur, & in hodiernum vſq; diem, ex vetuſtiſſimo more in traditione clauium traditur. Proinde earundem clauium myſterium explicare pergens: Quæcunq;, inquit, hic ligaueris in hoc meo regno ſuper terrā, alligata habebuntur coram Deo in cœlis. Et quæcunq; ante obligata reſolueris, ſoluta habebūtur in cœlis. Quicquid hic fixeris aut refixeris, ad verbum oris tui, ad imperium tuum agentur vniuerſa: tuiſque præceptis & iuſſionibus, vt rectoris mei regni, meæ eccleſiæ ac familiæ, mei parebunt vniuerſi: vt quas Deus in cœlis, firmas, rataſq; habiturus eſt.

Quas autem claues ſui regni hic promiſit Petro, ibi eas dedit, cum mox redituro ipſo a nobis ad patrem, alterius (eius vice) paſtoris, rectoriſq;, neceſſitas fore inciperet ſuæ eccleſiæ. Tunc in cæterorum etiam præſentia Apoſtolorum, & diſcipulorū ſuorum, vnum Petrum ouili ſuo præpoſuit, vni cõmiſit &

ſit & ouium & agnorum ſuorum paſtoralem curam, & regimen. Quod faciēs, ſicut eidem omnem ad hoc neceſſariam autoritatem attribuiſſe neceſſario intelligendus eſt, qualem ſupra explicauimus: ita quoq; vniuerſas ſuas oues, omnes agnos, eiuſdē curæ, regimini & autoritati ſubieciſſe, & iiſdem rectori, paſtoriq; ſuo obediendi neceſſitatē impoſuiſſe (ſine quo illos non potuiſſet, nec poſſet regere) nemo tam eſt ſtupidus, qui non intelligat. Pro cuius etiā vnius fide, vt totius eccleſiæ rectoris, & ad quē quæſtiones et controuerſias omnes iuxta formam, quam in veteri illa eccleſia expreſſerat, neceſſario referri oportuit: ne quando deficeret, ſingulariter rogauit patrē ſuum, quem & exauditum pro ſua reuerentia, nemo eſt qui dubitat. Cuius orationis effectus ad illum, non vt Simonem Ionæ filium, ſed velut ad Petrum & Cepham illum, hoc eſt, eccleſiæ ſuæ rectorem, & quem inter nos conſtituit principalis, & Apoſtolicæ cathedræ præſidem, pertinere, ex orthodoxorum omnium & totius eccleſiæ certa & conſona ſentētia lib. IIII. & VI. de Hierarchia eccleſiaſtica, prolixe & luculentiſſime demonſtrauimus. Hæc, inquam, eſt Bucere, eccleſiæ noſtræ forma et ſpecies, plana, vt dixi, explicata, decora, ſolida,

efficax, vere digna ſuo illo opifice, omnipotenti, infinitaque Dei ſapientia: qua vna, quamuis inter homines, & peccatores homines (quales haud ſcio an non ſæpe ſimus vniuerſi, aut certe pars maxima, in vniuerſis eccleſiæ ordinibus et gradibus) in tam immenſa toto orbe diffuſa multitudine Chriſtifidelium, ſeruari poteſt pax & concordia: conſeruari diſciplina publica: & vnumquodque membrorum tam vaſti corporis contineri in ſuo officio, in ſympathia & conſpiratione in totius vtilitatem et mutuam.

Quæ cum in tam clara luce ab initio fuerit poſita, tam euidenter conſpicua omnibus, vt eam non videre non poſſis, etiam ſi vltro illi claudas oculos: ſtupēdum ſane mihi videretur, niſi idem feciſſent maiores veſtri pene omnes hæretici, poſtquam ſe ab eius vnitate diuiſerāt, quod veſtris eam tenebris poſtquam Cymmerijs ſtudeatis inuoluere: & pro ea, neſcio quas eccleſias mathematicas, quæ portenta, quæ mōſtra, quas Chymeras, ſine forma, ſpecie, ac ordine, abſque membris & capite, & quas ipſi explicare non poſſetis, introducere conamini: nunc vere filiorum Dei & ſanctorum, nunc electorum

rum et illi ſupernæ Hieruſalem adſcriptorum communionem proferentes. Quæ, vt ab illa triumphante accleſia aliena admodum non ſunt, tametſi eius ſpeciem & formam nulla ratione explicent: ita a noſtra militante ſunt plane alieniſſima, vt in qua nemo eſt perpetuo vere Dei filius, perpetuo vere ſanctus, ſed velut in lubrico decertantibus omnibus, qui nunc ſtat, paulo poſt cadit: & in manus pedeſque ſurgit iterum. Nec hos vere ſanctos, vere Dei filios, & qui tales perſeueraturi ſunt, hoc eſt, electos, quiſquam inter nos nouit: nemo ſcit qui ſint præter illum, cui patent omnia: nemo vbi latent, vbi requirendi forent, ſi cui pro ſalute ſua perſuaſum eſſet ad Chriſti regnum & eccleſiam cõfugere. Inter quos, vt ignotos omnibus, atque adeo ſibi ipſis, non poſſet vllius ordinis certa forma & ſpecies conſiſtere: nullus rector aut paſtor aliorum curæ & regimini ſuperintendere.

Breuiter in ipſam tenebrarum pene palpabilium abyſſum, quę in tam clara luce a Chriſto eſt poſita, eccleſiã deturbare conamini. Quid hæc inuoluitis omnia? Ne a catholicæ eccleſiæ vnitate receſſiſſe videamini? a qua vos eſſe alienos ipſa rei euiden-

dentia loquitur,& nos ſupra,& alibi euidentiſſime demonſtrauimus. Nec dubitamus Chriſti affirmatione inſtructi,certo pronunciare, vos, vniuerſasq; eccleſias veſtras concludi intra portas, munitionesque inferorum,vt quæ illi Cephæ vnitæ non ſunt, velut ſuo fundamento ædificium, nec Petri agnoſcunt autoritatem & officium, ſed ipſum pluſquã hoſtiliter impugnant. Ac proinde certo colligimus pertinere vos ad regnum ſatanę,non Chriſti, cuius Petro claues a Chriſto commiſſæ ſunt. Nec vllis verborum fumis, aut inuolucris hanc nobis euertetis rerum naturam: hanc certiſſimam & clariſſimam veritatem obſcurabitis.

Nec quicq̃ facitis,dum quæ in vos veriſſime cõpetunt,in nos transformantes,Antichriſtos nos dicitis. Nam qui inſeparabilis & indiuiduæ domus vnitatem non tenent, qui extra eccleſiã Chriſti conſiſtentes eius pacem perturbant,hos vere Antichriſtos eſſe,& ad regnum ſatanæ, non Chriſti pertinere, ex certiſſima Chriſti & orthodoxorum omnium ſententia indubitatum eſt. Vos vnitatem indiuiduæ domus nõ tenere,& extra eccleſiam Chriſti conſiſtere,eius pacem & concordiã perturbare

vt res ipſa loquitur,ita a nobis toties irrefragabiliter demonſtratum eſt. Proinde vere vos Antichriſtos eſſe,etiam quicquid aut de nobis, aut de vobis ipſis feceritis,nec ipſis vobis dubium eſſe poterit, nec nobis. At non ignoramus elaborandum quidem nobis eſſe,vt vnitatem,formam,& faciẽ eccleſiæ a domino per ſe & Apoſtolos nobis traditam,quãtum poſſumus,obtinere curemus: & quod in nobis eſt, vt palabundas & errãtes ouiculas(quas veſtra peruicax factio & hæretica tentatio a matre eccleſia ſecernit) in eccleſiam recolligamus,relictis vobis: de quibus,vt ad nos reuertamini,ſpes nulla eſt,obſtinatione veſtra & exitiali furore in veſtris,quamuis euidentibus,& a vobis ipſis intellectis erroribus veſtris,perſeuerantibus. Diſcretionis huius & ſeparationis per vos factę procul dubio ipſi rationem reddetis domino,niſi quis nobis & Chriſti eccleſiæ exurgat Phinees,qui etiam hic eius pœnas a vobis exigat: aut niſi qui gladium inter nos portant, ſui officij memores perpenderint,quid diuinus ſpiritus in illos decernat,qui contumaciter reſiſtunt autoritati Pontificis maximi , aut ſacerdotis ſummi principalis cathedræ præſidis : & quid ab ipſis idem exigat, quo pernicioſiſſimum ſcandalum de medio

eccleſiæ auferant.

Hoc vero Bucere de te & ſymmiſtis veſtris ſatis admirari non poſſum, quod de ſcripturis tam impudenter aduerſum omnium orthodoxorũ communem ſenſum, aduerſus ipſam in ſe rei euidentiam, aduerſus veſtram ipſorum fidei confeſſionem publicam, aduerſus earũdem ipſarum diuinarum ſcripturarum euidentem autoritatem aſſeritis, eas ſufficere nobis & Chriſti eccleſiæ, ad componendas tollendasq; exortas inter nos omnes, quæ fidei doctrinam & religionem concernunt, controuerſias: nec eſſe verum, quod in alienum ſenſum ſint facile flexiles, ſed vnum, certum, eumque familiariſſime ac certiſſime docere. Quod ſi verum eſt, quid diuinus ille ſpiritus in illo veteri populo, legis ſcripturarumque occaſione altercantes, non remiſit ad ſcripturas ipſas, ſed ad viuam quandam autoritatem, viuumque iudicium: ipſius nempe Pontificis maximi præſidis cathedræ, & ſacerdotalis concilij vna ſecum ſeruientium domino? Et quis non intelligit ſcripturas, quantumuis clariſſimas finxeris, & vnam, certamque certiſſime & familiariſſime explicantes ſententiam, eſſe tamen mul-

tos

tos iudices? Et proinde inter altercantes animoſe & pertinaciter, nunquam componendas controuerſias eiuſmodi, ſed viua autoritate aliqua opus eſſe, qua definiantur illæ, ſi modo controuerſiarum & quæſtionum iſtiuſmodi finem aliquem, aut modum habere voluerimus in eccleſia: ſi idem dicere omnes abſque ſectis & ſchiſmatibus, oportet: ſi verum eſt quoque, quod ipſi vos ipſa veritate coacti, in veſtra ipſorum fidei confeſſione Auguſtana aperte confitemini, nempe ad Epiſcopalem autoritatem pertinere, vt cognoſcant de doctrina, ſi quæ noua emergens vocetur in controuerſiam, an cum euangelio CHRISTI conſentiat, an vero pugnet, & reijciendam eſſe, quam diſſentire iudicauerint. Atque ea in re agnoſcitis, eccleſias ex iure diuino eiſdem obedientiam debere. Nam ſi hanc inter nos licentiam admiſerimus, vt in his, quæ ad fidem religionemque pertinent, nemo ſuperioris alicuius, ſed ſcripturarum tantum ſubijciatur autoritati & iudicio (cum illas varie intelligi pro cuiusque captu & ingenio plane indubitatum ſit, nec ſit cuiuſuis, nec facile, veram earundem intelligentiam aſſequi) an non tot inter nos introducemus,

tan-

tanquam pugnantes de fide religioneq; ſententias, quot ſunt, & quam diuerſa hominum capita? Quæ eſt ergo hæc tam pudenda inconſtantia veſtra, vt veſtræ ipſorum fidei in totius orbis conſpectu publice confeſſæ, & cui adhuc inhęrere vos profitemini, nec ab ea declinare velle latum digitum, obliti, pugnetis tamen cum eadē bis per omnia? Si tam ſunt claræ omnes ſcripturæ, quam tu eas facis, vt vnum, certum, eumq; certiſſime familiariſſimeq; ſenſum doceant, vt nullus in eis hallucinandi locus ſit: quid igitur cauſæ eſt, vt tam varia, tam diuerſa, ex eiſdem ſcripturis diuerſe ſenſerint? Quæ cauſa inter nos tot, tantorumque diſſidiorum & controuerſiarum in doctrina religionis et fidei, qui tamen eiſdem ſcripturis vtimur? Imo quæ cauſa, cur ipſe tu Bucere, & multi tecum vna ſymmiſtæ tui, quos ante publice aſſerebatis & docebatis peſtilentiſſimos errores circa præcipua noſtræ religionis dogmata, nunc eoſdem nobiſcum execramini? An tunc, quā nūc, aliæ diuinæ vobis ſcripturæ lectæ ſunt? Haud ita ſane, vt exiſtimo, ſed aliter intellectæ, tunc quidem veſtro, nunc autem nobiſcum catholicæ ſenſu eccleſię. Difficultatis atq; obſcuritatis diuinarum ſcripturarum, orthodoxi tractatores earundem ab initio omnes,

omnes,& præſertim doctiſſimi quique,teſtes ſunt. Quin & Petri de Paulinis epiſtolis,eadem ipſa irrefragabilis cenſura eſt. Eſſe videlicet in his obſcura quædam & difficilia intellectu,quæ affirmat deprauari ab indoctis atq; inſtabilibus,quemadmodum & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionē. Proinde pios admonet, vt caute legant eaſdem, & ſe diligenter cuſtodiant,ne & ipſi inſipientium errore traducti,a propria firmitate & veritate excidant. Quin & idem Petrus (quod de ipſo teſtatur Clemens ille glorioſus Chriſti martyr & Pontifex, illius comes indiuiduus) per omnem occaſionem diſcipulis ſuis inculcabat, diuinas ſcripturas non ſecundum propriam cuiuſq; intelligentiam legēdas aut docendas.Sunt enim,inquit,multa in ſcripturis diuinis,quæ trahi poſſunt ad eum ſenſum,quem ſibi vnuſquisq; præſumit.Et ideo oportet intelligentiam ſcripturarum ab eo diſcere,qui eam a maioribus,ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat.Hos ego duces & magiſtros ſequens Bucere,malo impius & blaſphemus a te audire, quam Lutherum & vos ſequens, Dei filius & Chriſti diſcipulus atque euangelicus. Hoc indubitato habuit veterum illorum omnium,orthodoxorum,ſanctiſſimorum,eo-

rundemq; doctiſſimorum patrum certa doctrinā & ſententia, vt cōmunem catholicæ eccleſiæ ſententiam amuſſim & regulam infallibilem rectæ intelligentiæ diuinarum ſcripturarū intelligerent, ad quā, inter varias pugnantium & ſcripturas diuerſimode interpretantium opiniones & ſententias, perpetuo nobis reſpiciendum, collimandumq; foret, vbi hallucinari nollemus, & impingere. Quā regulam vt nusq̄ non inculcat eruditiſſimus ille, & diligentiſſimus ſcripturarum excuſſor Origenes: Ita inquirens in doctrina fidei, quæ certa definitaq; iam tum eſſent, quæ vero adhuc in medio poſita, operationi & ſtudio Chriſtifidelium, & de quibus adhuc diſputare in vtranque partem liceret, primi eandem principij loco propoſuit. Sicut, inquit, multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, deſueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falſis opinionibus aſſerebant, poſtq̄ credidimus filium Dei eſſe Chriſtum & ab ipſo nobis hanc diſcendam eſſe perſuaſimus: Ita cum multi ſint, qui ſe putant ſcire, quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa a prioribus ſentiant, ſeruetur vero eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſque ad præſens in eccleſijs permanens,

manens, illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab eccleſiaſtica traditione diſcordat. Hæc ille ante annos mille trecentos, & eo amplius: Imo hæc orthodoxis ab initio omnibus certa regula extitit, ad quam, exortam omnem inter nos quæſtionem, omnem pugnantium opinionum concertationem & controuerſiam, examinandam eſſe non dubitarunt: ad illam nimirum regulam multo ſecurius, q̃ ad ſcripturas prouocantes aduerſus hæreticos: tum quod illæ plærũq; difficultatis & obſcuritatis plurimum haberent: vt non eſſet difficile ad eum, quẽ ſibi vnuſquiſq; ante præſumpſit, & ad ſcripturas attulit, ſenſum, ſcripturas etiam ipſas pertrahere: tũ quod non vniuerſa ad doctrinã religionis & fidei pertinentia, nodis ſcripto explicata eſſent, ſed viua doctrina Apoſtolica tradita. Quin potius conſtat acceſſiſſe euangelia, acceſſiſſe & Apoſtolicas epiſtolas, acceſſiſſe, inquã, doctrinæ fidei iã diuulgatæ, & magna autoritate receptæ in orbẽ: non aũt præceſſiſſe, nec hãc ab illis, ſed cõtra potius, illas ab hac, accepiſſe indubiæ veritatis certã autoritatẽ in eccleſia, ſicut alibi a nobis luculẽtiſſime demonſtratũ eſt. Itaq; Irenæus ille glorioſus Chriſti martyr & Epiſcopus aduerſus Valentinũ, & cæteros ſui tpis hæreticos,

ad hanc traditionem eccleſiaſticam, hoc eſt, doctri=
nam,ab eccleſia non ſcripto,ſed viua Apoſtolorum
traditione acceptam, & per manus ſuccedentium
ſibi ſacerdotum & Epiſcoporum peruenientem ad
nos,non vero ad ipſas ſcripturas,perpetuo cõfugit.
Quam requirendã docet in eccleſijs, in quibus ipſi
proprie verſati ſunt Apoſtoli, & ab ipſis ad nos
haud interrupta conſeruatur ſacerdotalis ſucceſſio:
maxime vero omnium in Romana eccleſia, funda=
ta a Petro & Paulo,duobus glorioſiſſimis Apoſto=
lis,præſertim quod ad eam,ob principalis cathedrę
prærogatiuam,neceſſe ſit omnem conuenire eccle=
ſiam,& vniuerſos toto orbe Chriſtifideles. Hãc,in=
quit ille,traditionem,quam ab Apoſtolis accepit ec
cleſia,& ad nos cõtinua ſacerdotali ſucceſſione per=
uenit,proferentes atq; indicantes, confundimus o=
mnes eos,qui quoquo pacto, vel per ſui placẽtiam,
vel vanam gloriam, vel cæcitatem, & malam ſen=
tentiam,fidem prærerquã oportet colligunt.Quos
peruicaces, & qui alioqui confundi neſciunt,vt ſcri
pturis confudiſſet aut confunderet ob cauſas, quas
attulimus, nec illi, nec cuiquam etiam in ſcripturis
exercitatiſſimo,ſaltem in plæriſq; multis, facile fu=
turum arbitror, cum ſcripturis non explicari com=
prehen=

prehendiq; uniuerſa, quæ ad fidei religioniſq; do-
ctrinam pertinēt,alibi,nec vno loco,a nobis irrefra-
gabiliter demonſtratum ſit.

Proinde & idem ille Irenæus addidit. Nam etſi
Apoſtoli nullas nobis ſcripturas reliquiſſent, tamē
oportebat,inquit,nos ſequi ordinem traditionis ec-
cleſiæ,& veterem ex eccleſia fidem cognoſcere.Hu-
ius ipſius eccleſiaſticæ traditionis, non ſcripturarū
autoritatem,nempe antequam ſcripta ab Euange-
liſtis legerentur euangelia,tam ſerio & ſub tam hor
rendi anathematis denunciatione,nobis commen-
dauit Apoſtolus:cum etiam ſibi ipſi & coapoſtolis
omnibus, atq; adeo angelis de cœlo anathema de-
nunciaret, ſi euangelizet vobis, inquit, præter id
quod euangelizauimus vobis,hoc eſt,diuerſum ab
eo.Non dicit,ſi quis qd euangelizauerit vobis præ
ter id,quod nos, cæteriq; Apoſtoli & Euangeliſtæ
ſcripſimus.Neq; enim eatenus, aut ipſe quicquam
ſcripſiſſe inuenitur Galatis, aut legebantur publi-
ce in eccleſijs quatuor Euangelia, vt quæ nondum
ſcripta fuiſſe indubitatum eſt.Sed hoc eſt,quod no
bis tam ſerio commendat & inculcat,vt nullius au
toritate,nec ipſius quidem, nec Apoſtolorum om-

nium, ſed nec angelorum de cœlo, permitteremus nos abduci ab illa antiquitate traditionis Apoſtolicæ,quā viua traditione acceptam ab Apoſtolis,continuæ ſucceſſionis ſerie,velut per manus, tranſmittit ad nos.

A qua ne vlla canonicarū ſcripturarum, q̄ nobis forte videretur,euidentia aut apparētia,nos abduci ſinamus,Chriſtiane admodum,et conformiter doctrinæ,quā nunc audiſti,Apoſtolicæ,ille nos admonet Origenes:vt meminerimus,quoties ea inducūtur aduerſus antiquam,cōmunem,conſonantemq́ eccleſiæ obſeruationē,traditionē et ſentētiam,ea nos tentatione pulſari, de qua nos Chriſtus præmonitos,cautoſq́ fecit:nobiſq́ demōſtrari Chriſtum in deſerto,aut domorum penetralibus:qui, ſeipſo teſte,alibi quam in corpore catholicæ eccleſiæ nō eſt. Sed nos(inquit)credere illis non debemus, nec vnquam exire a paterna eccleſiaſticaq́ traditione.

Eandē hāc ipſiſſimam veritatis & pietatis regulam,ab ipſo eccleſiæ initio orthodoxi,ſanctiſſimiq́ patres omnes,quam ſcripturas,efficatiorem aduerſus hæreticos experti ſunt: adeo vt illi Tertulliano non videatur ex ſcripturis ineundum certamen cū

hæ-

hæreticis. Certe ipſe eadem Martionem, conſorteſ-que eius feliciter confecit.

Cyprianus & Baſilius ad eandem ſæpiſſime cō-fugerūt, & diligenter inculcarunt, cōmendaruntq́ Chriſtifidelibus. Hieronymus aduerſus Vigilanti um haud alijs fere telis vſus eſt. Auguſtinus aduer-ſus Donatiſtas paruulorum baptiſma aſſerit, haud equidem ſcripturis. Sed paruuli, inquit, baptizati ponuntur in numero credentium: et hoc ſolum ex conſuetudine eccleſiæ, antiqua, canonica, fundatiſſi ma. Hoc habet, inquit, autoritas matris eccleſiæ, hoc fundatiſſimæ veritatis canon obtinet.

Cum aūt Irenæum audis, cum Tertullianū, Ori genem, Cyprianum, Baſilium, Hieronymum, Au-guſtinum hac de re conſonam, imo vnam proferē tes ſententiam, nolo imagineris totidem hominum doctiſſimorꝫ quidem & ſanctiſſimorum, attamen hominū, te audire ſententiam, q̄ nobis præiudicare nō poſſit, nec fidei religioniſq́ legem præſcribere. Nolo nobis (vt ſolent veſtri) occlames, niti nos nō verbo Dei, ſed opinionibus hominū. Neq́ eīm eo-rum tantum, ſed totius catholicæ per vniuerſum orbem

orbem diffuſæ eccleſiæ(cuius & ſunt & fuerũt columnæ quædam præcipuæ) ex quatuor orbis terræ cardinibus conſonam,imo vnicã,per illos ipſos audis prolatam ad nos ſententiam. Neq; aliud Irenæum, Tertullianum,Origenẽ, Cyprianum, Baſilium,Hieronymum, Auguſtinum, de eccleſiaſticæ traditionis & antiquæ obſeruationis autoritate,tanto conſenſu ſenſiſſe credendum eſt,quam quod cõmuniter tenebat catholica Chriſti eccleſia.Sed hæc alibi a nobis prolixius, accuratiuſque demonſtrata ſunt, ita vt ijſdem hic diutius immorandum nõ ſit. Et forte Bucerus, ſi fidei ſuæ memor fuerit, & dominus nobis vitam eatenus prorogauerit, occaſionem nobis ipſe ſubminiſtrabit eadem hæc adhuc explicandi diligentius et luculentius, ſi modo quid ipſe(quod vix expecto) noui, & nondum a nobis excuſſi attulerit,

Nunc & illud expendendum eſt,quam ipſe vere dicat mentiri nos, pro ſua ſcilicet illa modeſtia ſingulari,& familiari illo,quo agũtur,ſpiritu(Chriſti ne ille, an Antichriſti ſit,res ipſa loquitur) qui affirmamus, abſq; Romani Pontificis autoritate cogi non licere eccleſiaſtica concilia extraordinaria,

hoc

hoc eſt,quæ a ſacris canonibus iuſſa non ſunt, pro diſciplina eccleſiaſtica conſeruanda, quotannis ordinarie celebrari per ſingularum prouinciarũ Epiſcopos, ſub Metropolitano ſuo conuenientes: vt ſi quid forte perperam,inordinate, iniuſteque geſtũ, ordinatumue eſſet,ab vno quolibet Epiſcoporum in ſua eccleſia:ſi quis ex clero aut populo iuſtam aliquam queremoniæ cauſam aduerſus Epiſcopum ſuum (vt homines omnes ſumus) ſe habere prætenderet,communi id comprouincialium Epiſcoporum cõſilio,& Metropolitani autoritate antiſtitis retractaretur.Cuiuſmodi vt quotannis bina celebrarentur per vnamquamque prouinciam, a Niceno concilio ſalubriter ordinatum eſt.Præter iſtiuſmodi,inquam,concilia,quæ ordinaria dicimus, tãetſi nunc male & in magnam eccleſiæ perniciẽ deſueuerint, nulla nos concilia eccleſiaſtica, aut cogi, aut celebrari licere abſque Romani Pontificis autoritate,nec fas eſſe quibuſcunque,aut quocunque,etiam ſi omnes in vnum nationes Chriſtianæ conuenirẽt, vt præter Apoſtolicę ſedis autoritatem, quicquam de religione ſtatuant,affirmare nos non imus inficias.Bucerus vero hac in re nos mentiri affirmat.

Proinde vt euidentiſſima veritas lectori pateat,

imo ipſis pene digitis palpabilis fiat, imprimis q̃d ante, atq; alibi non paulo copioſius atq; accuratius ex diuinarum ſcripturarum irrefragabili autoritate demonſtrauimus, Chriſtianæ eccleſiæ in clariſſima luce, velut inſignis, maxim eq; cuiuſdam ciuitatis ſuper montem poſitæ, ordinem, formam, faciẽ, ad ipſam rei euidentiam, quæ ab initio fuiſſe cernitur, reuocabimus, ponemuſq; ob oculos: & ab illis palpabilibus & craſſiſſimis tenebris, quibus eandẽ obſcurare & offundere nituntur aduerſarij, vindicabimus. Ex quo ſolo, nulli non certiſſima erit veritas eius, quod nunc vocatur in cõtrouerſiam. De quo ipſo, ſequẽti deinceps loco demõſtrabimus, q̃d proprie et clare definiat diuinarũ ſcripturarũ autoritas. Cui ipſam addemus recognitionẽ ab initio totius catholicæ eccleſiæ, & conciliorum ipſorũ melioribus illis eccleſiæ temporibus celebratorũ, orthodoxorumq; patrũ conſenſum omniũ. Qua in re, ſi aliquãto prolixiores erimus, ſpero id nõ fore abſq; operæprecio, nec tibi moleſtum, ſed iucundum potius, quiſqs certæ veritatis intelligendæ ſtudio hæc noſtra lecturus es. Alioqui aduerſarijs, & imprimis Bucero imputãdum foret, ſi cui iuſte noſtra hic diſpliceret prolixitas. Quam tamẽ rerum vltro & vbertim

bertim ſe ingerentium copia (in qua nihilominus magis laborauimus, quid poſſemus detrahere, quã addere) non ſtudium prolixitatis peperit. Quamq̃ diligentię noſtræ calcaria, ipſius, quod in nos impudenter impingit, conuitij cõtumelia & grauitas addidit. Graue em̃ eſt homini modeſto audire, mentiris, & apud Germanos pene capitale eſt. Mihi certe ille teſtis eſt, qui me iudicaturus eſt, quod in nullius gratiam quicq̃ affirmaui in his omnibus, quæ hactenus edidi. Erro fortaſſis in quibuſdam, vt homo ſum, nec humani quicquã a me alienum exiſtimo: hoc nihilominus ſentio, quod ſcripſi: hoc ſcribo, quod ſentio: gratiſſime accepturus, ſi quis ſalua Chriſtiana modeſtia, & conuitijs abſtinens, rationibus argumentiſq́;, quibus ego ducor, ſatisfaciat, & veriorem me ſentẽtiam doceat. Vt vero conuitijs & nuda, impudentiq́; aſſeuerandi audacia in ſuam me ſententiam quiſquam pertrahat, fieri omnino nõ poteſt. Ego meæ ſentẽtiæ rationes partim iã explicaui, partim ſubiecturus ſum. Quas ſi Bucerus, aut quiſquam alius, inefficaces mihi demonſtrauerit, & efficaciores attulerit in diuerſam ſententiam, vltro illi ſubſcripturus ſum, reiecturus propriam. Pighij ſynceritas.

Hoc imprimis de te Bucere, veſtriſq́; omniũ ma

 xime

xime admirari cogor, quod vbiq; tam irreuerēter, tam impudenter, tam iniurioſe, tam contumelioſe in Romanum Pontificem, & cathedram Apoſtoli eam debacchamini. Qua re vna, vt alienos vos plane demonſtratis ab omni Chriſtiana modeſtia, & ouilis Chriſti hoſtes, impugnatoreſq; palam oſtenditis: ita nemo non intelligit, ignaros vos omnis antiquitatis eccleſiaſticæ. Cui dum conſentire vos iactatis per omnia, & catholicæ eccleſiæ conſenſum ſequi, certum eſt id fieri a vobis nō potuiſſe aut poſſe, ſicut & alia plæraq;, quæ dicitis, agitis, & aſſeritis, niſi laboraretis eccleſiaſticæ antiquitatis ignorantia craſſiſſima: vt ex qua cognita ignotum vobis eſſe non poſſet, quid ab ipſo ſui initio catholica Chriſti eccleſia in vniuerſo orbe de Romana eccleſia ſenſerit & crediderit. Quod vt libris tribus poſterioribus de Hierarchia eccleſiaſtica fecimus euidentiſſimū: ita tua me cogit impudentia, vt ex illis multis hic pauca perſtringam, quæ veſtræ vos impudentiæ admoneant.

Imprimis cupio vos diligenter perpendere tenorem profeſſionis orthodoxæ fidei catholicæ eccleſiæ, ſub qua ante annos mille reuertentes a ſchiſmate

mate,quod graue admodum & periculoſum Aca-tij Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuperbia & pertinacia excitauerat,ad eiuſdem catholicæ eccleſiæ gremium & communionem,in extremo Oriente, Septentrione,Meridie,& Occidente recepti ſunt. Nã illo ſublato e medio, cum eius ſucceſſor Ioannes ad catholicæ eccleſiæ communionem reuerti cuperet, reunirięꝫ ſuo capiti eccleſiaſticæ Hierarchiæ præſidi,libellum profeſſionis ſuæ &catholicæ eccleſiæ fidei,propriæ manus ſuæ ſubſcriptione roboratum, etiam dicto in ſeipſum anathemate,ſi eum vnquam tranſgrederetur in poſterum , miſit ad B. Hormiſdam Rom.Pontificem, in veræ ſuæ pœnitentiæ teſtimonium,quo ſic mereretur ab eo rurſus in communionem recipi, a qua alienam temeritatem & culpam ſequutus, ſe ſeparauerat: ad eundem ſcribens in hæc verba.

Redditis,inquit, mihi veſtræ ſanctitatis literis in Chriſto frater chariſſime nuper per Gratum clariſſimum comitem,nunc vero per Germanum & Ioannem reuerendiſſimos Epiſcopos, & Blandum presbyterum,& Felicem,& Dioſchorum ſanctiſſimos diaconos,lætatus ſum de ſpeciali charitatis ve-

ſtræ ſanctitate, quod vnitatem eccleſiarum Dei, ſecundum veterum patrum requiris traditionem: et dilaceratores rationabilis gregis Chriſti, amore pulſare feſtinas. Certus igitur ſcito per omnia ſanctiſſime, quia ſecundum quod vobis ſcripſi tecum in veritate conſentiens, omnes a te repudiatos hæreticos renuo, &c. Omnibus actis a ſanctiſſimis IIII. ſynodis, Nicena, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi, de confirmatione fidei inſtituta eſſe eccleſiæ aſſentior, & nihil turbari de bene iudicatis patior: ſed & conantes in ipſis ad vnum apicem placitorum turbare, lapſos eſſe a ſancta Dei generali & Apoſtolica eccleſia ſcio. Et tuis verbis recte dictis euidenter vtẽs, per præſentia ſcripta hæc dico. Quia prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & a patrum traditione nullatenus deuiare. Et quia non poteſt domini noſtri Ieſu prætermitti ſententia, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Atq; hæc, quæ dicta ſunt, rerum comprobantur effectibus. Quoniam in Apoſtolica ſede inuiolabilis ſemper fides catholica cuſtoditur. Hæc igitur fides eſt, a qua nec cadere cupientes, anathematizamus omnes hæreticos, &c.

nomi-

nominatim ſubijciens vniuerſos damnatos in Epheſina & Chalcedoneñ. ſynodis. Quibus ſubiungit in hæc verba. Quapropter,ſicut prædiximus,ſequentes in omnibus ſedem Apoſtolicam,prædicamus etiam omnia,quæ ab ipſa decreta ſunt. Et propterea ſpero,in vna cõmunione vobiſcum, quam Apoſtolica ſedes prædicat,me futurum: in qua eſt ſemper integra doctrina Chriſtianæ religionis,perfectaque ſoliditas. Promittens in ſequenti tempore, ſequeſtratos a communione eccleſiæ catholicæ, id eſt,in omnibus non conſentientes ſedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non eſſe recitanda myſteria. Quod ſi in aliquo a profeſſione hac mea deuiare tentauero,his quos condẽnaui,etiam per condemnationem propriam,conſortem me eſſe profiteor. Huic vero profeſſioni ſubſcripſi manu mea, &c. Hactenus ille. Sub qua fidei profeſſione B. Hormiſda ad Hiſpaniarũ Epiſcopos ſcribens, affirmat etiam de Thraciæ & Scythiæ,Illyricię; partibus,ſimiliter et Syriæ,a dicto ſchiſmate venientes multos ad catholicæ eccleſiæ communionem receptos fuiſſe: mandans eiſdem,vt ſi qui (ſuper quo ipſum conſuluerant) ex Orientali clero ab eodem ſchiſmate venientes, eccleſiaſticam communionem ab eis expoſce-

poſceret, ſecundum eandem profeſſionis formam admitterentur. Conſtat autem, catholicæ eccleſiæ eandem hanc tunc fuiſſe fidem & certam ſententiam, vt ſub cuius profeſſione, ad eiuſdem communionem ab eadem recepti ſunt, a qua per cõtrariam ſententiam ſe diuiſerant.

Proinde diligenter perpendendũ, quid in ſe contineat dicta profeſſio. Continet aũt certiſſima & veriſſima. Imprimis, vt ſalus veſtra p̃cipue cõſiſtat in cuſtodia rectæ fidei, ſine qua, affirmante id Apoſtolo, impoſſibile eſt placere Deo. Deinde in cuſtodia traditionis paternæ & eccleſiaſticæ, quam & orthoxæ doctrinæ, & rectæ diuinarum ſcripturarum intelligentiæ certam amuſſim eſſe, ſuperius atque alibi irrefragabiliter demonſtrauimus. Ad hæc, vt infallibilis illa Chriſti ſententia, qua Simonem Cepham pronunciauit, & velut fundamẽtum ſuperædificandæ eccleſiæ ſuæ conſtituit, nunquam deficiat in eius cathedra, eiuſque præſidibus, comprobante hoc ipſum rerum euidentia, ſubſecutiſq; effectibus. Quod & nos ſupra, atq; alibi euidens fecimus, nec minus ex his, quæ poſt dicentur, reddetur illuſtruis. Aeque & illud, quod eius decretis & præceptis

ceptis omnes obedientiam debeant, vtcꝫ omnes in omnibus eius ſequi fidem teneantur: in qua, ſingulari diuinæ prouidentiæ priuilegio, ad totius eccleſiæ vtilitatem perpetuo conſeruatur inuiolabilis fides catholica, & integra doctrina Chriſtianæ religionis. Denicꝫ (quod ipſum etiam per ſe eſt euidēs, & a nobis ſupra atque alibi euidentiſſime demonſtratum) vt Apoſtolicæ ſedi non conſentientes, diuiſi ſint a communione catholicæ Chriſti eccleſiæ.

Eandem catholicæ eccleſiæ fidem et ſententiam, eſt videre in libello profeſſionis fidei, ſub qua Eulalius Carthaginēſis Epiſcopus, vna cum cæteris Aphricanis Epiſcopis, dudum per Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum aduerſus Romanam eccleſiam ceruices ſuas erigentem, & eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinem confundentem, vigoremque ſoluentem, ſub Bonifacio primo & B. Cœleſtino in ſchiſma pertracti fuerant, ſub Bonifacio ſecundo ad catholicæ eccleſiæ gremium recurrerunt. Sed nobis paulo poſt hæc ipſa neceſſario eſt explicanda Tragœdia, vt quam pro ſe inducit Bucerus: ſed eius decurſum atcꝫ exitū nō perpendit. Itacꝫ profeſſionis eius tenorem, etiam tunc oportunius audies.

Nihil ergo inſolenter factũ,aut arroganter vſurpatum a veteribus illis Pontificibus exiſtimabis,ſed quod ipſæ diuinæ ſcripturæ euidenter comprobant, & ab vniuerſa eccleſia publice recognitum confeſſumque extitit, quoties (quod frequentiſſime faciunt) hanc Apoſtolicæ ſedis ſingularem prærogatiuam,in ſcriptis ſuis & epiſtolis canonicis ab eis præferri, inculcari, & velut iactari in conſpectu & facie totius orbis inuenies. Vt ille Lucius glorioſus Chriſti martyr & Pontifex ante annos mille & circiter trecentos, ad conſulta Occidentalium per Gallias & Hiſpanias Epiſcoporum,ex autoritate Apoſtolicæ ſedis reſpondens, poſt explicatam de omnibus eiuſdem ſedis ſententiam, quam viuam, non ſcriptam traditionem Apoſtolorum affirmat, quo iuſta apud eos autoritate haberetur ea ipſa ſentẽtia, ſubiungit in hæc verba.

Hæc ſancta & Apoſtolica mater omnium eccleſiarum Chriſti eccleſia, per omnipotentis Dei gratiam, a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur: nec hæreticorum nouitatibus deprauata ſuccubuit: ſed vt in exordio normam fidei catholicæ percepit ab autoribus ſuis, Apoſtolorum

rum

rum Chriſti principibus, illibatam fine tenus conſeruat, ſecundum ipſius domini ſaluatoris noſtri diuinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum principi in ſuis fatus eſt euangelijs: Petre, inquiens, ecce ſatanas expetiuit, vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, ne deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Hactenus ille.

Idem eadem de cauſa, & in eadem omnino verba, a Felice ad Benignum Epiſcopum, ab Euſebio ad vniuerſos per Campaniam & Tuſciam Epiſcopos, a Marco ad beatum Athanaſium & vniuerſos Aegyptiorum Epiſcopos, a beato Agathone in epiſtola, quam direxit cum legatis ſuis ad ſextam ſynodum, & ab alijs plærique ad alios, factum inuenies. Et hi ſanctiſſimi Pontifices, & magna parte glorioſi Chriſti martyres, non in angulis domorum aut penetralibus, ſed in facie totius eccleſiæ, & tanquam rem omnibus confeſſam ac notoriam, & quam ſupra toties audiſti inculcari a ſanctiſſimis patribus noſtris, & profeſſione orthodoxæ fidei catholicæ eccleſiæ, prærogatiuam hanc Apoſtolicæ cathedræ protulere.

Quam & ipſam clariſſimis verbis recognouit magna illa Chalcedonēſis ſynodus,in epiſtola ſynodali ad beatiſſimum Leonem Pontificem,qua actis, definitionibusque ſuis, Apoſtolicæ autoritatis robur impartiri poſtulabant.In qua inter cætera gratulātes eidem ſedi tam doctum,tamq; ſanctum Pontificem : Non deſinimus,inquiunt,domino Deo noſtro gratias agere,& pariter ſupplicare, gratulantes quod tantæ ſanctitatis,tantæ fidei,tātæq; doctrinæ, Apoſtolicæ ſedi,vnde religionis noſtræ fons & origo manat,antiſtitem dederit.

Audis, quid tantum concilium, imo quid vniuerſa in eo Chriſti eccleſia,de ſede Apoſtolica ſentiat,nempe vt inde in eccleſiam vniuerſam,velut perennis quidam fons,& origo religionis noſtræ, ſynceriſſimos riuos deriuet.Quod & ille orthodoxus, doctiſſimusq; Hieronymus intellexit, & re ipſa & verbis confeſſus eſt, dum in medio pene Oriente prope Antiochiam habitans,de his quæ pertractabat fidei, ſcripturarumq; quæſtionibus, vltra tam vaſta terrarum,mariumq; ſpacia, Petri cathedram conſulēdam cenſuit.In qua ſola ſeruatur,inquit, incorrupta patrum hæreditas,viua,inquam, illa Apo

ſtoli-

ſtolica traditio,quã ab initio ab Apoſtolorũ princi pibus accepit. A qua quiſquis diuiſus fuerit, eum profanum dicit,& extra myſticam illã arcam, quæ ſola ſuos ſaluat ab ingruente diluuio. Cuius & iudicium quiſquis damnare præſumit, eum non catholicum, ſed hæreticum pronunciare nõ dubitat. Et quis non intelligit, eccleſiæ Chriſti atque eius fidelibus fuiſſe neceſſarium, vt inter tot hæreticorũ procellas ac turbines,quibus aliquando, velut a ſuis fundamentis vniuerſa pene commota eſt Chriſti eccleſia, & infecti omnium principalium ſediũ Epiſcopi, vna ſaltem inter nos ſpecula erecta eſſet, ad quam reſpicientes dirigerent tenorem ſuæ fidei, qui aberrare nollent? Quid enim alioqui in iſtiuſmodi,tam periculoſis caſibus, refugij ſupereſſet miſeris Chriſtifidelibus? Sed, vt vides, non defuit eccleſiæ ſuæ Chriſtus in omnibus neceſſarijs. Quod ipſum,non ſolum diuinarum ſcripturarum clariſſima autoritate, ſed publica totius eccleſiæ recognitione & confeſſione, atque rei euidentia euidentiſſimum fecimus.Certe,ex vna beatiſſimi Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum & Apoſtolicæ ſedis per Orientis partes vicariũ, de Attico veteris Epeiri Archiepiſcopo epiſtola (ad

quã te lector remitto. Prolixior enim eſt q̃ vt in hac ſcribendi anguſtia contrahi potuerit in luculẽtum compendium, aut integra ſubijci debuerit, tametſi quæ integra & diligentiſſime legatur, ſit digniſſima) Ex vna, inquam, hac epiſtola, nemo non cordatus & attentus ad omnia lector, euidentiſſime perſpicit, qualis eo ſæculo fuerit, quam decore, quam ordinate, quam decenter diſpoſita illa domus eccleſiaſtica, ſub cura vnius, velũt patrisfamilias, Romani Pontificis. Cuius non minus tunc viguit in vniuerſum orbem autoritas (vnitatem eccleſiaſticam continens, & non ſecus, quã animus quidam, immẽſum aliquod corpus, ex plurimis maximeq; diſſimilibus mẽbris cõpoſitum ſuſtinens, vegetans, et gubernãs) q̃ faciat in vna domo vnius patrisfamilias. Hinc eluceſcit et illud, vt per diuerſos officiorũ, dignitatum, ordinumq; gradus, ad vnam B. Petri ſedem, totius eccleſiæ cura tunc ordinatiſſime, cõmodiſſimeq; confluxerit, vt oẽs, etiam longiſſime poſitæ eccleſiæ, nõ minus moderatiõis eius, velut præſentis, ſentirent habenas, nec minus imperia religioſiſſime, prõptiſſimeq; exequerẽtur, q̃ quæ vicinæ erant et proximæ. Breuiter, vt ſine eius iuſſu ac permiſſu, nihil, quod alicuius momenti eſſet, eccle-

cleſiaſticorꝫ negociorũ ageretur in vniuerſa domo eccleſiaſtica: ſed quod maiores oẽs cauſæ referrerẽtur, diſponerẽturq́ʒ ad eius arbitrium. Imprimis ex illa videre eſt, quæ eius fuerit libertas in euocandis coram ſe, etiam perſonalitar ex diſtantiſſimis regionibus, Epiſcopis: quãtaq́ʒ illorum, quamq́ʒ diſtricta obedientia: quam parata quoq́ʒ ſæcularis poteſtas executioni mandatorũ, etiam huius ſedis legati: quæ, omnia ſibi publica officia, in exhibitionem inſontis alioqui Archiepiſcopi, Attici memorati, per tempus importunum, & itinera difficilia, in effectum præceptionis adiũgeret. Ad hæc, ex eadem eſt euidentiſſimum, vt conſueuerint etiam tunc, in extremo Oriente Metropolitani, obedientiam præſtare Romano Põtifici: vtq́ʒ nulli toto orbe, niſi huius ſedis autoritate, ordinarentur Epiſcopi. Siquidem electionum Epiſcopalium confirmationes ex toto orbe, etiam a longiſſime diſtantibus eccleſijs, petebantur a ſede Apoſtolica, id quod clariſſime indicant hæc dictæ epiſtolæ verba. De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de cleri plebiſque cõſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad tuam fraternitatem referat: quodque in prouincia bene placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem rite celebrandam

tua quoq; confirmet autoritas. Et rurſus: Sicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus volumus fatigari: ita nihil permittimus, te ignorante præſumi. Hæc ita, etiam ante beatiſſimum Leonem, inconcuſſe & deſtrictiſſime obſeruata, paulo poſt indicabimus. Quod vero etiam poſt ipſum annis quam plurimis, vſque dum totus pene Oriens vetuſto inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam domini tunicam, & deſuper cōtextam, minutatim diſcerpere cœpit, & ad ſchiſmata declinare, euidentiſſime demonſtrat B. Gregorij ad Conſtantinam Auguſtam epiſtola: qui de Maximo præter autoritatem, & confirmationem Apoſtolicæ ſedis, Salonitanæ eccleſiæ ordinato Epiſcopo dubitans, ne forte id Imperatoris Mauritij iuſſu factum fuiſſet, qui et alia plæraq; egerat temerarie & præter ordinem, Conſtantinæ Auguſtæ mulieri religioſæ ſcribit in hæc verba: Salonitanæ, inquit, ciuitatis Epiſcopus, me, ac reſpōſali meo neſciente, ordinatus eſt. Et facta eſt res, quæ ſub nullis anterioribus principibus euenit. Vides, quod tantus Pontifex affirmet, nunquam ante factum, vt abſq; Apoſtolicæ ſedis autoritate quiſquam ordinaretur Epiſcopus. Hęc enim eſt illa Epiſcopatus Petri vnitas in catholica Chri-

ſti

ſti eccleſia,in qua Cyprianus ille Chriſti martyr & Pontifex eruditiſſimus, conſiſtere vnitatem eccleſiæ vbiq; prædicat: cuius Epiſcopatus a ſingulis pars quædam teneatur in ſolidum. Cæteris enim vocatis in partem ſollicitudinis: vni Petro & qui illi ſuccedunt, commiſſam plenitudinem poteſtatis. A qua plenitudine quiſquis non participat, nihil ſibi Epiſcopalis autoritatis vendicare poterit. Quin & ex alijs plæriſq; dicti beatiſſimi Leonis epiſtolis clariſſime videre eſt,non ſolum, quod ea tunc toto orbe conſuetudo fuerit petendarum ab Apoſtolica ſede confirmationum electionum Epiſcopaliū: ſed etiam,quod eaſdem confirmare non conſueuerint, præſertim in ſedibus principalibus, poſt ſemel accenſam Arrianam illam facem,priuſquā ſuę fidei propria manu ſubſcriptas,& roboratas miſiſſent literas.Quod idem ipſe Leo & re ipſa, & ſcripto atteſtatur in Anatholio Conſtantinopolitano, & B.Protecerio Alexandrino Epiſcopis. Necq; em̄ Anatholium in defuncti B. Flauiani locum ſubrogatum Epiſcopum confirmare conſenſit, quanuis intercedente pro eodem Imperatore Theodoſio, priuſquam de verbi incarnatione ea ſe credere et tenere profiteretur,quæ tam in ſua ad dictum B.

Flauianum, quam in beati Cyrilli ad Neſtorium epiſtolis continentur, eamq; profeſſionem abſolutiſſima ſubſcriptione coram omni clero & vniuerſa plebe declararet: nec ſe communicaturum cũ his, qui de verbi incarnatione aliter ſentirent, ſub ſuo etiam chirographo profiteretur, vt eiuſdem Leonis ad præfatum Imperatorem Theodoſium teſtatur epiſtola. Pro Proterio quoque, qui in locum Dioſcori Apoſtólica & Chalcedonẽſis ſynodi autoritate deiecti, ordinatus fuerat Alexandrinus Epiſcopus, Martianus Chriſtianiſſimus Imperator ſuis literis & nuncijs apud eundem Leonem interceſſit, vt ab ipſo confirmaretur: quod tũ facere conſenſit, cum fidei & confeſſionis eius teſtes, propria ipſius manu ſcriptas, & proprio ad hoc legato deſtinatas accepiſſet literas, quemadmodum ipſius epiſtola teſtatur, qua Martiano Imperatori reſpondet.

Ita ſane eſt, & erat neceſſarium, vt cum vniuerſa Chriſti eccleſia Romanorum Pontificum, & apoſtolicæ ſedis autoritate, non ſecus quam familia vna ac domus, adminiſtrari & cõtineri debebat in vnitate & officio: omnes quoq; omnium eccleſiarũ Præ-

Præpoſiti ab vno ipſo dependerent: per quos ad vnum ipſum totius eccleſiæ referri oportebat negocia, quo tota ſibi eſſet vndiq; conſentiens & conſona: tota ſentiret moderationẽ vnius capitis: vnius exequeretur iuſſa & imperia, & proinde, vt ex toto orbe referrerentur electiones ad confirmationem capitis domus eccleſiaſticæ pręſidis. Hoc enim eius domus ordo plane requirebat, quo in eadem ſuus vigor diſciplinæ & vnitatis conſeruari poſſet concordia.

Vt vero intelligas, etiam prioribus illis ante beatiſſimum Leonem ſæculis, eodem tenore frequentatas confirmationes illas electionum Epiſcopaliũ, & tanti momenti fuiſſe habitas, vt ſine illis toti orbi confeſſum haberetur & notorium, ordinatiões eiuſmodi viribus non ſubſiſtere, nec habitos pro Epiſcopis ab orthodoxo populo, vtrimq; ex hiſtoria Iulij Romani Pontificis & Anthiochenæ ſynodi, eſt clariſſime perſpicere.

Conuenerant in hanc, autore Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo, qui Arrianæ factionis (quæ vniuerſum pene Orientẽ, Occidentemq; diu multumq; vexauit, cõturbauitq; poſt Nicenam ſynodum)

dum) ſe anteſignanum & ſigniferum præſtiterat,
nonaginta ſecum conſentientes Epiſcopi, aduerſus
præcipuos quoſq; Nicenæ fidei zelatores ſubordi
nantes calumnias: quos coram ſe conuictos variorũ
criminum, vt prætendebant, ſuis ſedibus eijcientes,
in eorum locum ſuperordinauerãt alios in Alexan
drina, Conſtantinopolitana, atq; alijs plæriſque per
Orientem eccleſijs. Quorum motus vt perſentiſce-
ret Iulius, etiam ante certam vllam actorum ab eis
notitiam, ſcripſit ad eos plenam autoritatis epiſto-
lam, ex qua aliquanto poſt nõnulla adducemus o-
portunius: ipſos coarguens, quod aduerſus autori-
tatem eccleſiaſticorum canonum, abſq; huius ſedis
autoritate, tentaſſent celebrare concilium, et Epiſco
porum ſibi vſurpauerint iudicia: in irritum reuo-
cans, quicquid ſub ſynodi prætextu, aut egiſſent
eatenus, aut acturi eſſent in poſterum. Inſuper
& Apoſtolicæ ſedis in illos cẽſuram minitatus eſt,
niſi ab eiuſmodi præſumptione deſiſterent. Cui
reſponderunt quidem ſatis arroganter, & contu-
maciter, grauiter imprimis expoſtulantes, quod
eorum concilia diſſolueret, & damnatos ab ipſis
pro grauibus, vt dicebant, criminibus Epiſco-
pos, inaudita cauſa reſtitueret. Inter hæc tamen,

tam

tam ſua ipſorum, quã totius orbis conſcientia con-uicti, fatẽtur Romanam eccleſiã maternam curam gerere totius eccleſiæ. Romanos Pontifices vel inuiti agnoſcunt, & eiſdem, tanquam ſuis patribus ac ſuperioribus, obedientiam a ſe deberi, & ſe congregari cum ipſis oportere. Tamen inſtanter petentes, vt confirmet ordinatos a ſe Epiſcopos, & hæretico ſpiritu inflati, quaſi diſceſſionem minitantes, ni hac in re ipſis condeſcendat: nihilominus inter eiuſmodi hinc minas, inde in diuerſum trahentem, tam ſuam ipſorum conſcientiam, quam communem totius orbis conſenſum, ex ſuis fratribus ſe ad ipſum mittere ſcribunt, cum actorum a ſe omnium inſtructione pleniſſima, quo eadem ſanctitati innoteſcere curarent, eundem rogãtes, æquum ſe in ijs iudicem præbeat. Cuius epiſtolæ tenorem cap. XI. lib. IIII. de eccleſiaſtica Hierarchia inſeruimus. In qua hoc Chriſtiane lector diligenter perpendes, quantum confeſſionis in ſe pondus cõtineat, q̃d illi tot & tales Epiſcopi, hoc eſt, qui Chriſti velut ex profeſſo & hoſtiliter oppugnabant eccleſiam, & Hierarchiam eius modis omnibus confundere moliebantur, qui capto primum omnium Imperatore & Imperio, vniuerſis eius viribus perſequebãtur orthodoxos,

& velut ex ſuperiore loco magnis cladibus & iniu-
rijs afficiebant, qui inſuper ſynodalem autoritatem
præ ſe ferebant. Quod, inquam, hi a Romano Pon
tifice Iulio, cuius vnius grauis nimium ipſis erat au
toritas, vt quæ ſola impijs eorum conatibus obſiſte
ret, factæ a ſe ordinationis in illis eccleſijs Orientali-
bus confirmationem Epiſcoporum peterent.
Quod nunquid feciſſent, niſi totius orbis conſen-
ſu & confeſſione fuiſſet notorium, abſque Roma-
ni Pontificis confirmatione factas ordinationes ei-
uſmodi viribus non ſubſiſtere? Quid enim hac de
re ex medio Oriente vltra tam vaſta terrarum, ma-
riumque ſpatia vni Romano Pontifici moleſti fue
re, ſi ad eum (quod nunc diabolico odio excœcati,
& omnis eccleſiaſticæ antiquitatis ignorantiſſimi
aduerſarij noſtri impudentiſſime & pertinaciſſi-
me affirmant) vnius Romanæ cura pertinebat ec-
cleſiæ? ſi quæ in Orientalibus illis eccleſijs gereban-
tur, nihilo magis ipſius intererat, quam Mediola-
nenſis, Rauennatis, aut alterius cuiuſque Epiſco-
pi? Et quid tandem factum eſt? Receptis ſyno-
dalibus actis, æquum ſe iudicem Iulius præbuit, &
canonice coram ſe euocatis, damnatis vna cum da-
mnatoribus, examinatiſque ſingulorum accuſa-
tioni-

tionibus & defenſionibus, cum illos innocentes reperiſſet, ab horum damnatione abſoluit, & ſingulis ſuas eccleſias reddidit, conuerſa in damnatores iuſta damnationis ſententia. Cuius vnius iudicium, absque vlla hæſitatione aut contradictione, amplexa eſt & ſequuta vniuerſa Chriſti eccleſia:& Athanaſium ſuum receperunt Alexandrini, Conſtantinopolitani Paulum, Gazei Aſclepam, Marcellum Ancyrani, Lucianum Hadrianopolitæ, & ſuos quoſque cæteræ. Illos vero dicti concilij & iniuſtæ damnationis fratrum innocentum autores excommunicatos ab eodem, catholica Chriſti eccleſia, & tunc, & deinceps, pro rite excommunicatis habuit. Horum ita geſtorum, præter fidem hiſtoricam (cuius teſtes habemus Socratem & Sozomenum, autores imprimis graues, & rerum eccleſiaſticarum eius temporis ſcriptores diligentiſſimos, ad hæc Græcos homines, ne quid eos in Romanæ eccleſiæ fauorem confinxiſſe calumniari poſſis) confirmat etiam altera Iulij ad dictæ ſynodi autores epiſtola, cuius tenorem pene ad verbum prædicto etiam capite libri quarti Hierarchiæ a nobis inſertum inuenies. In qua inter cætera affirmat, antiquis canonibus eccleſiaſticis,

atque

atque adeo Apoſtolicis, cōſtitutum, & Niceni concilij canonibus renouatum, non licere præter ſententiam Romani Pontificis celebrare concilia, niſi illa ordinaria, nec damnari Epiſcopos, nec quicquā terminari de omnibus grauioribus negocijs eccleſiaſticis, quo oppreſſis & iniuſte damnatis refugium pateat: & aduerſus improbos, contumaces, ſuperbos, & fratrū oppreſſores, vltio iuſta parata ſit.

Et quamuis Nicomediēſis ille Euſebius, eius impiæ factionis caput & ſignifer, quæ de Athanaſio decreuerat Iulius, vt habet ille Socrates, non occurrit agnoſcere, hoc ipſum, non propterea factum idē affirmat, quaſi autoritatem & iudicium eius adhuc contemnere pergeret, ſed quia continuo poſt celebratum illud concilium, ante finem iudicij Romani Pontificis morte præuentus fuerat. Habet enim in hæc verba. Euſebius autem legationem miſit ad Iulium Romanæ vrbis Epiſcopum, rogans vt contra Athanaſium iudex eſſet. Sed quæ de Athanaſio decreuerat Iulius, non occurrit vt cognoſceret. Quia dum paucum tempus vixiſſet poſt concilium, vita priuatus eſt. Quapropter Conſtantinopolitæ Paulum rurſus in eccleſiam introduxerunt,

& cæ-

& cætera. Sed & Vrſatius & Valens hæretici, poſtea libellum pœnitentiæ Iulio offerentes, & conſentientes ὁμουσίου verbo, communicare meruerunt. Hactenus Socrates.

Sozomenus vero eidem hiſtoriæ his verbis teſtimonium perhibet. Igitur Athanaſius, inquit, relinquens Alexandriam, Romam profectus eſt. Cõtigit autem eodem tempore etiam Paulum Conſtantinopolitanum Pontificem illuc vna concurrere, & Marcellum Ancyræ, Aſclepam q́ Gaziæ: qui, dum Arrianis eſſet aduerſus, calumniam paſſus ab his, quaſi ſubuertiſſet altare, damnatus eſt. Pro quo Gazeorum eccleſia Quinciano committitur. Lucianus autem Hadrianopolites Epiſcopus, ob aliam accuſationem eccleſia ſua priuatus degebat in vrbe Romana. Cognoſcens ergo Romanus Epiſcopus crimina ſingulorum, & omnes Niceno concilio concordare comperiens, eos in communionem ſuſcepit tanquam omnium curam gerens propter ſedis propriæ dignitatem, ſinguliſque reddidit ſuas eccleſias. Et Orientalibus Epiſcopis ſcripſit, quod non recte tractaſſent viros inculpabiles, de ſuis eccleſijs eos expellentes: & quod conſtitu-

 tiones

tiones Niceni concilij minime obſeruarent. Quorum paucos ad certum diem ſibi adeſſe præcepit, vt coram eis oſtenderet, iuſtum ſe ſuper illis protuliſſe decretum, & deinceps ſe non paſſurum interminatus eſt, niſi ab huiuſmodi turbis & nouitate ceſſarent. Et ille quidem hæc ſcripſit. Athanaſius autem & Paulus, epiſtolas Iulij Orientalibus Epiſcopis miſerunt, & ſinguli eorum ſuas ſedes adepti ſunt. Hæc ille Sozomenus. Ex quibus omnibus clariſſime intelligis lector Chriſtiane, eo ſæculo, hoc eſt, ante annos mille ducentos, magis recognitam fuiſſe autoritatem Romanorum Pontificum in Alexandria, Conſtantinopoli, vniuerſa denique toto orbe eccleſia, quam nunc in hoc vno, qui vix nobis reſtat, Occidentis angulo. Ab eius autoritate dependiſſe ſtatum vniuerſæ domus & familiæ eccleſiaſticæ: Epiſcoporum vt confirmationes, ita depoſitiones & iudicia: vtque impiorum & malignantium concilia, & totius pene Orientis conſpiratio, aduerſus autoritatem eius præualere non valuerit. Quin & Agapeti, te quæſo lector, & Anthemij Tragœdiam, vt diligenter attendas. Nam eius exitus euidentiſſime demonſtrat, quam eo ſæculo vniuerſus toto orbe Chriſtianus

tius, ab vnius Romani Pontificis iudicio ſuſpenſus fuerit.

Quin Athemius ille Trapezuntinus ante Epiſcopus, Iuſtiniani Auguſti, & præcipue Theodoræ Auguſtæ, cuius affectibus ille obſequebatur, fauore deſerta eccleſia ſua, cõtra eccleſiaſticos canones irrepſiſſet in Conſtãtinopolitanam eccleſiam tunc vacantem per mortem B. Epiphanij, eoq́ ſuo illicito ambitu, & inſuper, quia cum Seuero Antiocheno Epiſcopo, & Petro eius diſcipulo, Zoaroq́ monacho Euticianæ paulo ante damnatæ præſidiæ ſectatoribus, communicare ſuſpectus fuerat, haud leuiter perturbaret ſtatum Orientalis eccleſiæ: confugerunt totius pene Orientis orthodoxi Epiſcopi, presbyteri, clerici, & monachi ad ſedẽ apoſtolicam, ſupplices literas dirigentes Agapeto Romano Pontifici, & orãtes vt ſui memor officij, illud ſcandalum auferret ab eccleſia, & apoſtolicæ ſæueritatis gladium deſtringeret in hæreticos & euerſores eccleſiaſticorum canonum. Vtque iuberet impia hæreticorum ſcripta igni contradi, & ea habentes proferre in publicum ad imitationem eorum, qui zelarant poſſidere Manichæa, Neſtorij, inquam,

& Euticetis inſenſati,& Dioſcori patris et protecto ris eorum. Addunt & rogare eundem aduerſus Anthemium, velut paternis Apoſtolicorum Ponti ficum prædeceſſorum ſuorum ſanctionibus con= trauenientem,vt ſuæ aduerſus illum ſententiæ ſan= ctum & perfectum finem imponat, quo omne de medio extinguatur ſcandalum a paruulis in domi= num credentibus. Et optatam,inquiunt,vocem au dietis ab omnibus nobis. Cuſtodiat dominus ſedē veſtram tanquam dies ſæculi, qui Petri ſucceſſor et imitator exiſtens,nos a tribulatione ſaluaſtis,& eos, qui nos odiunt,confudiſtis.Quas illorum literas in acta quintæ ſynodi relatas inuenies, vna cum ſpe= ciali accuſationis libello aduerſus Anthemium. In quo eundem ipſum velut obſecrando adiurant, vt ſequens eorum exemplum, qui ante ſe clarue= rant in ſede Apoſtolica, faceret & ipſe contra in= ualeſcentes aduerſus autoritatem ſanctorum cano= num, quod B. Cœleſtinus fecit aduerſus Neſtori= um: nempe, vt illi tempus præfigeret, intra quod, niſi Apoſtolicæ ſedi & ſuæ beatitudini libellum ſanæ fidei ſuæ porrigeret, & ſe ab hæretica ſu= ſpicione liberaret, cæteraque omnia iuſſa ipſius peragerct,alienum ipſum definiret ab omni Ponti=

ficali dignitate & efficacia, & ſortem ipſum accepiſ ſe cum eis,quibus communicabat hæreticis.

Ad quorum ſupplicationes ſanctus Pontifex cō miſſæ ſibi curæ ouilis Chriſti non defuit,ſed Seuerum illum Antiochenum Epiſcopum cum ſuis cō plicibus,anathematis mucrone confoſſos,velut mē bra palam putrida abiecit ab eccleſia. Anthemium vero de Conſtantinopolitana ſede, in quam illicito ambitu aduerſus canones irrepſerat, depoſuit. Inſuper & terminum illi præfixit purgationis canonicæ,intra quem,niſi coram ſe comparens,omni ſe expurgaſſet ſuſpicione,qua laborabat, prauitatis hæreticæ, non ſolum ab omni dignitate eccleſiaſtica,ſed etiam a nomine Chriſtiano alienus habēdus foret:ſortemq; accepturus cum his, quibus cōmunicaſſe conuictus fuerat,hæreticis.Hæc in hunc modum geſta fuiſſe quintæ ſynodi acta clariſſime cō probant.

Poſt hæc, cum idem Pontifex, inter Theodatū Gothorum regem, & Iuſtinianum Imperatorem componendæ pacis gratia Conſtantinopolim pro fectus,nullo nō honoris genere ab Imperatore exci

peretur, impetraſſetq́; quæ volebat pro neceſſitate temporis, ex ſententia: viciſſimque ab eodem importunis nimis ac pene violentis precibus ſollicitaretur ac perurgeretur, vt damnatum a ſe Anthemium, in communionem rurſus reciperet, & confirmaret in Conſtantinopolitana eccleſia: cum imperialis ille ſollicitationis vim (quæ iuſtam ſatisfactionem non admittebat, vxoris, cui plurimum indulgebat, impotenti affectui ſubſeruiens) non ferret amplius, rei indignitate commotus, & liberiori conſtantia vtens: Ego, inquit ad Iuſtianum Chriſtianiſſimum Imperatorē, venire me putaui: ſed Diocletianum inuenio. Qua reſponſi libertate, & tanti Pontificis autoritate permotus Imperator Anthemium cum ſuis exceſſibus & erroribus execratus, & Pontificiæ damnationis executor factus, relegauit. In cuius locum venerabilem Menam S. Pontifex ſuis manibus conſecrauit Epiſcopū. Qua de re idem ad Petrum Hieroſolymitanū Epiſcopum, & eos qui ſecum congregati fuerant, ſcribit ſe dignam, Chriſtiane doctam, piam, & plenam apoſtolicæ grauitatis epiſtolam, quæ et ipſa inter acta quintæ ſynodi relata eſt.

Sed cum Theodora Auguſta iamdudū capta

acti-

actibus et impietate illius damnati Anthemij, ordinatum in eius locum venerabilem Menam perſequeretur implacabili odio, mortuo Agapeto, quid non egit & ſcriptis, & nuncijs apud eius ſucceſſorem Siluerium, vt rurſus expulſo Mena, in Cōſtantinopolitanam eccleſiam reuocaretur Anthemius? Cui cum ille libera autoritate reſpōdiſſet, nūquam ſe reuocaturum hominem hæreticum, iamdudum condemnatum eius impietatis a ſuis prædeceſſoribus: accenſa illa magis furore fœmineo, & agitata illo ſpiritu, qui hæreſes & ſchiſmata ſeminat, cōtra ſanctum Pontificem egit apud Beliſarij vxorem, vt ſubordinata quacunque aduerſus illam calūnia, quoque prætextu, quoquam relegaretur in exiliū. Itaque ſubmiſſis per illam falſis teſtibus, qui dicerēt ſibi conſtare, coniuraſſe illum cum Gothis aduerſus Imperatorem, illis proditurum vrbem, in Pōtianas inſulas deportatus eſt: quamuis non dubitaret Beliſarius, nec ignoraret, ab vxore ſubordinatam eſſe calumniam. Quæ res illi multarum calamitatum, in quæ poſt incidit iuſto Dei iudicio, cauſa fuiſſe creditur.

Cum autem, neq; ſic voti compos illa fieret, ſancto

cto Pontifice fortiter ferente exiliũ,eo mortuo,modis omnibus ſtudebat, vt in eius locum eligeretur Vigilius, etiam vi apud clerum & P. R. interpoſita:qui ſub Siluerio legatum agens ſedis Apoſtolicæ apud Iuſtinianum Conſtantinopoli, promiſerat Auguſtæ, ſi eius ſtudio deſignaretur ſucceſſor Siluerio,ſe illi obſequuturum de Anthemio. Cum quo iam promoto ad culmen ſedis Apoſtolicæ, agit velut ex pacto,vt ſuæ fidei ſatisfaciat,& abiecto Mena Anthemium reſtituat Conſtãtinopolitanæ eccleſiæ.Sed iam factus ille Ro. Pontifex,quamuis malis artibus,haud tamen deſtitutus eſt illius cathedræ priuilegio: ſed ſanioris ſententiæ effectus reſpondit Auguſtæ,dolere ſe, ſi quid male atq; inſipienter illi addixiſſet. Nunc vero Petri ſucceſſorem et Chriſti vicarium,quamuis indignum, agentem, committere ſe non poſſe, vt hominem hæreticum, per ſuos prædeceſſores damnatum, reſtituat, ſed malle potius ſe omnia perpeti.Qua de cauſa aliquãto poſt aduocatum ad ſe Conſtantinopolim,& omni honoris genere a Iuſtiniano exceptum, cum rurſus & minis & precibus fatigaret, vt præſtaret promiſſum, conſtantiſſime recuſantem deportari tandem fecit,muliebri impotẽtia, & iam præ ſenio

aut

aut morbo prope delirante, & impiæ mulieri per omnia obſequente Iuſtiniano,in Proconiſſum,Gipſumq; inſulas, vna cum clero,qui ſecũ Roma venerat,vbi permanſit ad Theodoræ obitum . Poſtmodum reſtitutus ad preces Rom. cleri & Narſetis,nec vnquam iniuriarum, aut exilij tædio, ad impia Auguſtæ vota ac deſyderia deflecti ſe paſſus eſt. Vt clariſſime intelligas, hanc apoſtolicæ ſedis rupem ſemper perſtitiſſe immobilem , ad confirmandos toto orbe Chriſtianos fratres,omnemque altitudinem ſeſe extollentem aduerſus Deum , aduerſus orthodoxam fidem , aduerſus eccleſiaſticos ſanctorum patrum canones,deijciendam.

Sed quo tandẽ,& a quo , tantopere efflagitarant illi,tantus Imperator, et tam impotens deſyderij ſui Auguſta,quaſi pro ſua & totius ſalute ageretur Imperij,vt reduceretur Anthemius? nũquid alio, quã Conſtantinopolim?nunquid ab alio,q̃ a Ro.Pontifice?Cur quæſo non poterant ipſi,ſua illa Imperiali poteſtate, in Imperialis reſidentiæ ſedem , abſque Ro. Pontificis conſenſu reducere Anthemium, & inde Menam expellere,niſi ad vnius Ro.Pontificis autoritatem iſta pertinere recognouiſſet orbis vniuerſus?

 uerſus?

uerſus? niſi orthodoxus populus his in rebus ſuſpēſus fuiſſet ab vnius Rom. Pontificis iudicio? Et nunquid aduerſus eius ſedis autoritatem aliquando Conſtantinopolitanæ eccleſiæ eſt reſtitutus Anthemius? aut inde expulſus Mena, quem in eius locum ordinauerat Ro. Pontifex? Et te, ſymmiſtaſque tuos non pudebit Bucere, in hos ipſos eſſe tam contumelioſos, conuitioſos, & iniurios? Parum eſt quod dicitis, quamuis impudentiſſime & mendaciſſime dicatis, qui alios euidentiſſimam veritatem aſſerentes, mēdacij reos facere nō erubeſcitis, quod paſſim illa veſtra aſſeuerandi quicquid in mentem venit audacia, ſimplicibus, & vobis credulis, inculcatis, non ita nuper natam huius ſedis autoritatem, & primatū ſuper alias eccleſias, niſi adderetis horrēda conuitia, quæ in fratrem Chriſtianum nulla fert modeſtia, imo vix in vllum ethnicum. Quodſi vobis ſatis demonſtratum nondum ſit, fuiſſe huius ſedis primatum ab initio, ab ipſo inſtitutum Deo, nō ab hominibus, eumque tāto ſemper viguiſſe magis, quanto plus viguit Chriſtiana religio, mihi videmini ad euidentiſſimam veritatis lucem vel inuitos oculos claudere. Audiſtis enim, & magis adhuc audietis in ſubſequentibus, in illa florente adhuc, et

vere

vere Chriſtiana eccleſia, q̊ties vnus Romanus Pontifex,& quanta cum libertate, in omnium aliarum principalium ſedium antiſtites, Alexandrinū, Antiochenum, Conſtantinopolitanum, cæteroſq́ʒ, ſuæ autoritatis poteſtatem exercuerit: vtq́ʒ aut præuaricantes a regula orthodoxæ fidei, aut aduerſus ſacrorum canonum autoritatem ſeſe efferentes, ſua illa principali autoritate, aut reſipiſcere coegerit, aut deploratos abiecerit e ſedibus illis ſuis, omnique Chriſtiana eccleſia, in deiectorum locum ſubſtitutis alijs. Et hæc non vi vlla, aut vlla tyrānide, ſed verbo ſolo: at tam potenti, tantæq́ʒ autoritatis, vt aduerſus ſæua violentiſſimorum tyrannorum arma, aut potentiſſimorum & ſuperbiſſimorum Imperatorum Imperia, etiam in ipſa Imperialis reſidentiæ vrbe Conſtantinopoli, præualuerit.

Dioſcorus Alexandrinus antiſtes, vna cum tot ſecum congregatis Epiſcopis in ſecūda illa, quāuis vniuerſali ſynodo, etiā legittime indicta, teſtes ſunt, quanta aduerſus ipſos, & q̄ efficax viguerit vnius Romani Pontifi. B. Leonis autoritas, quæ ſola orthodoxam fidem aduerſus impium, quamuis generale concilium, tutata eſt, & in ipſum impietatis autorem Dioſcorum ſecūdæ ſedis Epiſcopum,

Apoſtolicæ ſæueritatis gladium diſtrinxit: quē nō ſolum ab Alexandrina ſede, ſed ab vniuerſa Chriſti eccleſia, irreparabiliter abiecit: cęteris, qui eius impietatem ſecuti ſunt in concilio, ex cōmunicationi ad pœnitentiam & reſipiſcentiā vſq; ſubiectis. Cuius iuſtum iudicium probauit aliquanto poſt ſubſequens Chalcedonenſis illa ſynodus, quale eatenus vniuerſa etiam Chriſti eccleſia recognouerat. At huius rei Tragœdiam, lib. VI. Hierar. noſtræ locis plæriſq; prolixius ac diligētius explicatā inuenies.

Aduerſus Anatholium, beati illius Flauiani in Conſtantinopolitana eccleſia ſucceſſorem, cū nō recte incederet ad veritatem euangelij, idem Leo quā libera, efficaciq; autoritate vſus fuerit (Ne, inquit, ad negligentiam rectoris referatur, ſi quiſquam in eccleſia catholica, ea prædicare præſumeret, quæ hæreticorum ſenſibus conuenirent) vtque coegerit illum, ad ſuum præſcriptum ordinare Conſtantinopolitanā eccleſiam: inſuper & pœnitere de illicito ambitu primatus ſuæ ſedis poſt Romanam eccleſiam, quo tentauerat, & in aſſenſum inclinauerat Chalcedonēſem ſynodum, dicti quoque lib. capite IX. ex eiuſdem beatiſſimi Leonis plæriſq; epiſtolis

cla-

clariſſime demonſtrauimus. Quem & ipſum, ita exigentibus eius exceſſibus, aliorumq; ædificatione & exemplo, a ſua, & catholicæ eccleſiæ communione ſeparauit ad tempus, vſq; ad ſatisfactionem congruam, qua intercedente, ac ſpondente pro eo Marciano Imperatore, recõciliari obtinuit, ea tamen adiecta lege, vt retractatis ordinationibus, quas de Andrea & Euphrate in ſua ipſius eccleſia fecerat, eandem vniuerſam ad præſcriptam ſibi regulam ordinaret. Teſtis eſt eiuſdem epiſtola XLV. ad eundem Anatholium.

Aduerſus B. Ioannem Chryſoſtomum, S. Paulinum, & Euagrium, conſpirauerat Orientalium Epiſcoporum pars maxima: qui in vnum ſynodice couenientes, eoſdem damnationis perculere ſententia. Quam, tanq̃ prolatam contra autoritatem ſedis apoſtolicæ, inſuper & iniquã, vnius B. Innocentij Ro. Pon. retractauit autoritas, & autores iniquæ ſententiæ excommunicationi ſubiecit. Quorũ Alexander Antiochenus patriarcha, per condignam ſatisfactionẽ, miſſa ex medio Oriente ſolenni legatione ad Innocentium, reconciliari meruit. Pro Attico aũt Conſtantinopolitano, ante dignam ad eiuſdem

 Innocen-

Innocentij arbitrium ſatisfactionem, a Maximiano ſedis apoſtolicæ per Orientem legato fruſtra interceſſum eſt. De Alexandro Antiocheno ita rem habere, teſtatur eiuſdẽ Innocentij ad Bonifacium preſbyterꝝ epiſtola. De Attico item Conſtantinopolitano, idem reſpõdet Maximiano, mirari ſe, quod pro eius cõmunione interceſſerit: Cõmunio enĩ, inquit, ſuſpenſa reſtituitur demonſtrãti cauſas, quibus acciderat, iam eſſe deterſas, & profitenti cõditiones pacis impletas. Quod neq; apud nos Atticus, miſſis aliquibus ſuorꝝ, vel dicere voluit, vel potuit demonſtrare completum. Quemadmodum Antiochenæ eccleſiæ frater & coepiſcopus noſter Alexander, digna legatione proſequutus eſt, & probauit vniuerſa, quæ apud Antiochiam fieri debuerant, fuiſſe cõpleta. Quorꝝ amplexati pacem, vtiq; fidem fecimus, & magno tramite eandẽ oſtendimus, ſi modo, quæ diſcuſſa ſunt & completa ab alijs, etiam ipſi pro ſuo loco feciſſe & compleuiſſe aliquando monſtrauerint, communionemq;, vt iſti, legatione ſolenniter deſtinata, ſibi rogauerint redhiberi. Hæc Innocentius, qui etiam ad Atticum Beroæ Epiſcopum, eadem ex cauſa reconciliari petentẽ, conditiones præſcribit, qbus impletis recipi in communionẽ poſſit.

Hic

Hic rurſus te oro Chriſtiane lector, mecũ vt diligenter perpendas, quo pacto inter violentiſſimos illos turbines & procellas, quibus omnes aliquando omnium ſedium antiſtites hæretica peruaſit contagio, tota pene ab imis vſque fundamẽtis quaſſata, concuſſaque ab hæreticis, orthodoxa ſubſiſtere potuiſſet eccleſia, niſi fundata fuiſſet ſuper illã petram, ſingulari beneficio Dei immobilem, quæ terrarum orbe reluctante (vt illius Chryſoſtomi verbis dicã) adamantis naturã in firmitate ſuperaret? Quæ apoſtolicæ illius viuæ traditionis (quã, ſucceſſione tñ continua Epiſcoporum, nõ aũt ſcripto nos accepiſſe, ſupra, atque alibi clariſſime demonſtrauimus) peruenire ad nos potuiſſet ſynceritas, alias eccleſias vniuerſas toties occupãtibus hæreticis Epiſcopis? Quis ordo, q̃ facies, q vigor Hierarchię eccleſiaſticę, inter illos Epiſcoporũ toto orbe ſine modo aduerſus ſeſe tumultuantiũ conflictus? inter illas improborum ambitiones, contra eccleſiaſticos canones, ſibi paſſim omnibus vendicantibus omnia, niſi vna hæc ſedes apoſtolica, & dotata a Deo & cõſeruata fuiſſet illo, q̃d adſtruximus & adſtruimus, priuilegio? Cuius vt ſemper permãſit integra fides, ad confirmãdos toto orbe Chriſtifideles in fide, ita viguiſſe autoritatem ad deſtruendam

dam omnem altitudinem ſeſe extollentem aduerſus orthodoxã fidem, aduerſus apoſtolicos eccleſiaſticosq; canones, an ex his cuiquam obſcurum eſt?

Simplicij Romani Pon. haud eſt ignota hiſtoria, vt in Timotheum Alexãdrinum, ſectatorem Dioſcori (qui trucidato per hereticos B. Proterio, quem in eiuſdem Dioſcori locum ordinauerat Chalcedonenſis ſynodus, & confirmauerat beatiſſimi Leonis autoritas, eccleſiam Alexandrinam inuaſerat) & Petrum eius diaconum, anathematis protulerit ſententiam. Ad hoc inſtantibus, altero Timotheo, qui ab orthodoxis canonice electus erat ſucceſſor Proterio, inſuper & Acatio Conſtantinopolitano, cui vices ſuas per Oriẽtem cõmiſerat. Quibus damnatis, et per Leonem Imp. ſententiæ apoſtolicæ ſedis executorem relegatis, cum poſt, mortuo eodẽ Leone, & Baſiliſco inuadente Imperium, per occaſionem turbatæ Reipublicæ reuerſi illi ab exilio, hæreticorum ſtudio Alexandrinam rurſus inuaſiſſent eccleſiam, expulſo inde Timotheo orthodoxo & legittimo Epiſcopo, haud longe poſtea e vita ſublato Timotheo illo inuaſore hæretico, Petrus eius diaconus & impietatis ſocius, eandem occupauit eccleſiam. At

Zeno-

Zenone mox legittimum recuperante imperium, ordinataq; Republica, deturbato, imo in fugam ſe proripiente illo Petro, ſuæ ſedi reſtitutus eſt Timotheus ille orthodoxus & legittimus Epiſcopus. Qua de re, præfatus Acatius ad Simplicium ſcribens, & actorum omnium ipſum certum faciens: Sollicitudinem, inquit, omnium eccleſiarum circũferentes nos indeſinenter hortamini, quamuis ſponte vigilantes & præcurrentes, ſed vos diuino zelo ſollicitos demonſtratis, ſtatum Alexandrinæ eccleſiæ certius requirentes, vt pro paternis canonibus ſuſcipiatis laborem, ſicut ſemper approbatum eſt. Sed Chriſtus Deus noſter, &c. omnem ipſe victoriam perfecit, cõſortes nos cum tranquilliſſimo Imperatore faciens. Et Timotheum quidem deceſſorem ſpirantem procellas, & eccleſiaſticam tranquillitatem conturbantẽ, vitæ ſubtraxit humanę, dicens ei: Tace & obmuteſce. Petrũ quoq;, qui ab Alexandria more ſimilis procellę ſurrexerat, diſſipauit, atq; in æternam fugã S. ſpiritu flante cõuertit: vnum ex his, qui olim dãnati fuerãt, &c. Timotheus aũt, qui Dauidicæ manſuetudinis exẽplo ſubditur, & vſq; in finẽ patiẽs, poteſtati propriæ reſtitutus a Chriſto, propriæ ſedis honore lætatur, &c. Hæc ille Acatius.

Sed idem, cum delegata ſibi in illis regionibus autoritate apoſtolicæ ſedis abuti cœpiſſet, velut propria, ſibi ipſi quendam primatum meditans: quemadmodum & prædeceſſorum & ſucceſſorum eius aliqui fecerant, ad quem finem, & Zenonem Imper. haud ſuſpicacem, ſuis ſibi artibus deuinxerat, multorum magnorumque deinceps motuum perturbationumque autor fuit in eccleſia. Siquidem mortuo deinde illo Timotheo Alexandrino Epiſcopo ſucceſſore B. Proterij, cum orthodoxus populus in eius locum elegiſſet Ioannem Epiſcopum, reſtitit quantum potuit Acatius, & Petrum illum nuper damnatum autoritate ſedis apoſtolicæ, & relegatũ, ab exilio reuocari curauit: Imperatori, quo ſpectaret, haud intelligenti perſuadẽs damnatum iniuſte. Quem & ipſum Imperiali fauore modis omnibus ſtudebat in Alexandrinam, quam nuper inuaſerat, eccleſiam reducere, ſperãs ſi id poſſet, ſuis conatibus illum cõmodum fore, nempe ſecundæ ſedis antiſtitem tanto ſibi deuinctum beneficio. Itaq; cum electus ille ab orthodoxo populo Ioannes, pro confirmatione obtinenda a ſede apoſtolica, ſuæ electionis ſynodicam mitteret ad Simplicium, vna ſuperuenit Vrbanus Subadiuua, ſacra principis ad eundẽ

defe-

deferens,quibus ille petebat, vt Ioannis cõfirmatio‑nẽ adhuc ſuſpenderet. Sed q̃a de reſtituendo Petro in eiſdem etiam literis eſt facta mentio, nihil cun‑ctatus Simplicius, canonicam Ioannis electionem abſque dilatione confirmauit: nec ob Imperialem gratiam quicquam de ſuo faſtigio deflexit Pontifi‑cia autoritas. Vnde offenſus quidem Imperator extitit, incentore illo Acatio: attamen Imperali illa indignatione nihil obſtante, Ioannes electus & ab apoſtolica ſede confirmatus, Alexandrinam ob‑tinuit eccleſiam, & in eadem multis annis præ‑ſedit.

Mortuo deinde Simplicio, Felix ſecundus eius in apoſtolica ſede ſucceſſor, etiam in Acatium da‑mnationis ſententiam protulit, quod damnato illi apoſtolica autoritate Petro, cuius idem ipſe procu‑rator fuerat, abſque eiuſdem ſedis communicaue‑rat iudicio, & multarum aliarum tranſgreſſionum conuictus fuerat. Sed cũ Zeno Imp. apud Felicem pro eodem inſtantiſſime intercederet, fidem ei fa‑ciens illum pœnitere, & in eius futurum arbitrio, victus Imperatoris precibus Meſſenium & Vita‑lem Epiſcopos, legatos ſuos eo tranſmiſit, quo co‑

gnita illius ſatisfactione congrua & pœnitentia, eccleſiaſticæ eum cõmunioni reſtituerent, & damnatum olim illũ Petrum, Alexandrinæ occupatorem eccleſiæ, prorſus expellerent, et abijcerent ab eccleſia. Qui profecti cũ perueniſſent Heracleam, nihil egerunt ex Pontificis ſententia, ſed contra potius, partim adducti metu, partim corrupti muneribus, damnatis excõmunicatiſq; a ſede apoſtolica communicauerunt. Quapropter & in hos merito indignatus Pontifex, ipſos quoque vt præuaricatores & Simoniacos, de eccleſiaſtico gradu deiecit, & excommunicationi ſubiecit. Quorum ita geſtorum præter hiſtoricam fidem, eiuſdem Felicis ad Acatium epiſtolã, quam per eccleſiæ ſuæ defenſorem vna cũ damnationis eius ſententia ad eundem miſit, indubiam fidem facit in hæc verba.

Felix Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ Acatio. Multarum tranſgreſſionum repereris obnoxius, & in venerabilis concilij Niceni contumelia ſæpe verſatus, alienarum tibi prouinciarum iura ſæpe vendicaſti: hæreticos & peruerſores, & ab hæreticis ordinatos, quos etiam ipſe damnaueras, atque ab apoſtolica ſede petiſti damnari,

non

non modo comunioni tuæ recipiendos putaſti, ve rumetiam alijs eccleſijs(quod nec de catholicis fieri poterat)præſidere feciſti, &c. Et quaſi hæc minora tibi viderentur,in ipſam quoq; apoſtolicæ doctrinæ veritatem, auſus tuos & ſuperbiam extendiſti, vt Petrus(quem damnatū a ſanctæ memoriæ præ deceſſore meo ipſe retuleras, ſicut teſtātur annexa) beati Euangeliſtæ ſedem,te iubente,rurſus inuaderet,&c. pulſoque eo,qui fuerat regulariter conſtitu tus,captiuam teneret eccleſiam. Cuius tibi adeo gra ta perſona eſt,et acceptum miniſterium,&c. vt per Meſſenum & Vitalem crederes excuſandum, nec eum laudare deſineres, & multis efferre præconijs: ita vt damnationē ipſius,quam ante retuleras,verā non fuiſſe iactares. Tantum autem perſeueras in hominis amicitia peruerſi, vt quōdam Epiſcopos, nunc vero honore & communione priuatos, Vitalem atque Meſſenum, quos ad eius expulſionem ſpecialiter miſeramus,ſublatos,cuſtodiæ paſſus fueris mancipari: atque ad proceſſionem, quæ tibi cum hæreticis habebatur, exinde productos, ſicut eorum profeſſionibus patefactum eſt, ad hæreticorum tuamque communionem pertraheres,prēmiiſque corrumperes: & læſionem beati Petri apo-
 ſtoli,

ſtoli, a cuius ſede profecti fuerant, non ſolum inefficaces redire faceres, ſed etiam impugnatores omnium, quæ fuerant mandata, efficeres. In quorum deceptione tuam nequitiam prodidiſti. Et libello fratris, coepiſcopi mei Ioannis (qui te grauiſſimis obiectionibus impetiuit) apud apoſtolicam ſedem ſecundum canones reſpõdere diffidens, obiecta firmaſti, &c. *Eos quoque literis tecum communicare teſtatus*, quos conſtat eſſe hæreticos, &c. Habe ergo cum his, quos libenter amplecteris, portionem: & ſententia præſenti, quam per tuæ tibi eccleſiæ direximus defenſorem, ſacerdotali honore, & communione catholica priuatus, nec non etiam a fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen, & munus miniſterij ſacerdotalis agnoſce, ſpiritus ſancti iudicio & apoſtolica per nos autoritate damnatus, nec iam anathematis *vinculis* eruendus. Hæc ille Felix. Itaque cum iam ille Acatius, vna cum Petro Alexandrino, a Felice parem in ſe accepiſſent damnationis ſententiam, proceſſit eorundem pertinax conſpiratio, et peiora grauioraque ſemper moliri, Imperatorem etiam Anaſtaſium, qui Zenoni ſucceſſit, ſuapte ingenio impium, ſuis ſibi artibus facile deuinxerunt, & in ſu-

am

am pertraxerunt perfidiam. Cuius autoritate & ſtudio coacti in ſynodum leues plæriſque, & parum memores officij ſui Græculi Epiſcopi, Imperialis fauoris & gratiæ auram facile in quiduis ſequentes, illi apoſtolicæ ſedis in ſe damnationis ſententiam, per eoſdem velut ſynodali illa autoritate, retractari procurauerunt. Petrum inſuper illum, reſtituendum, reducendumque in Alexandrinam eccleſiam, deturbato inde Ioanne præfato, orthodoxo & legittimo Epiſcopo. Et ſicut nullum ſibi modum facile inuenit prauorum, quoties in vnum conuenit, conſpiratio, etiam Kalendionem Antiochenum Epiſcopum, quod autoritatem apoſtolicæ ſedis ſecutus, ipſis communicare nolebat, e ſede ſua eiecerunt, ſubſtituto in eius locum altero quodam Petro hæretico, & alia præterea ſacrilegia & flagitia innumera patrarunt aduerſus orthodoxos per vniuerſas Orientis eccleſias. Omneſque illas principales ſedes, Alexandrinã, Antiochenam, Conſtantinopolitanam, ſua peruaſerunt, occuparuntque impietate ac tyrannide.

Aduerſus quos Gelaſius, ſanctus et doctiſſimus

Ponti-

Pontifex, illius Felicis ſucceſſor, conſtanter agens, & illos perfidos, apoſtolicæ ſedis autoritate confidentiſſime perſecutus eſt, & orthodoxorum ſe aſylum, perfugiumque præbuit: præfatum Ioannem Alexandrinum Epiſcopum, & alios plæroſque ab illis diuexatos, & ſuis ſpoliatos eccleſijs, benigne liberaliterque excipiens, fouens, ac protegens. Inter hæc, cum Acatius ille rebus humanis excederet, & de reconciliatione eccleſiarum ageretur, eamque ob cauſam Fauſtus a Gelaſio miſſus eſſet Conſtantinopolim: Imperatoris impietas, qui etiam ſe in religione damnatum querebatur, Epiſcopos illos, qui Acatio aut in impietate ſociati, aut Imperialis fauoris auram ſecuti, aduerſus ſedis apoſtolicæ autoritatem obſequuti fuerant, animoſiores obſtinatioreſque reddidit: ita vt contenderent, Acatium quamuis mortuum, a vinculo excommunicationis abſolui debere: alioqui præ ſe ferentes diſceſſionem ſe plane facturos a ſede apoſtolica. Qua de re per Fauſtum legatum ſuum certior factus Gelaſius, eidem reſpondit in hæc verba:

Ego, inquit, iam mente percepi, Græcos in ſua obſtinatione permãſuros, ne cui velut inſperatum

videri

videri poſſit,quod eſt ante præcognitũ, &c. Quid ſibi vult autem,quod dixerit Imperator ,a nobis ſe in religione damnatũ? Cum ſuper hac parte,& prę deceſſor meus non ſolum minime nomen eius attigerit,ſed inſuper quando principatum regiæ poteſtatis adeptus eſt,in eius ſe reſcripſit Imperij promotione gaudere, & ego nulla ipſius vnq̃ ſcripta percipiens, honorificis eum noſtris literis ſalutare curauerim. Prædeceſſores mei ſacerdotes, qui præuaricatoribus ſe communicaſſe propria voce confeſſi ſunt,a communione eos apoſtolica ſubmouerunt: Si autem illi placet ſe miſcere damnatis, non poteſt nobis imputari,ſi cum illis velit abſcedere.

Deinde iniquã refellens Græcorꝝ poſtulationẽ, qua abſolui petebant Acatiũ in excõmunicatione apoſtolicæ ſedis mortuum:Legatur,inquit, ex quo eſt religio Chriſtiana,aut certe detur exemplum in eccleſia Dei a quibuslibet Pontificibus, aut ab ipſis apoſtolis, ab ipſo deniq; ſaluatore, veniam non ſe corrigentibus fuiſſe cõceſſam . Auditum certe ſub cœlo nec legitur,nec dicitur,quod iſtorum voce depromitur: Date nobis veniam , vt tamen in errore duremus,&c.Mortuos legimus ſuſcitaſſe Chriſtũ,

& in errore mortuos abſoluiſſe non legimus, &c. Minus miror, ſi ignorantiam ſuam ipſe non perſpicit, qui dicit, Acatium ab vno non potuiſſe damnari. Itane perſpicis, ſecundum formam Chalcedonenſis ſynodi fuiſſe damnatum Acatium? &c. Nobis opponunt canones, dum neſciunt quid loquantur: contra quos hoc ipſo venire ſe produnt, quod primæ ſedi ſana rectaq; iubenti parere refugiunt. Ipſi ſunt canones, qui appellationes totius eccleſiæ, ad huius ſedis examen deferri voluere: ab ipſa vero nuſquã prorſus appellari debere ſanciuerunt, ac per hoc, illam de tota eccleſia iudicare, ipſam vero ad nullius conuenire iudicium. Nec de eius iudicio vnquam iudicari præceperunt, ſed ſententiam ab illa conſtitutam non oportere diſſolui, eius decreta in omnibus ſequenda mandantes. In hac ipſa cauſa, Timotheus Alexandrinus, Petrus Antiochenus, alter Petrus, Paulus, Ioannes, & cæteri, non ſolum vnus, ſed plures, ſacerdotij nomen præferentes, ſola ſedis apoſtolicæ ſunt autoritate deiecti. Cuius rei teſtis docetur etiam ipſe Acatius, qui eorum damnationem, priuſquam præuaricator exiſteret, fuerat executus, plurimis deinceps exemplis demõſtrans, in quam multis ipſi eccleſiaſticorum canonum

num præuaricatores fuerint. Hæc ille Gelaſius ad Fauſtum.

Ad Anaſtaſium autem Imperatorem, iuſtiſſimę damnationis Acatij rationem explicans, inter cætera ſcribit in hæc verba:

Si, inquit, cunctis generaliter ſacerdotibus, recte diuina tractantibus, fidelium conuenit corda ſubmitti, quanto potius ſedis illius præſuli conſenſus adhibendus eſt, quem, cunctis ſacerdotibus et diuinitas ſumma voluit præeminere, & ſubſequens eccleſiæ generalis pietas, ſibi præſidere iugiter agnouit. Vbi pietas tua euidenter aduertit, nunquam quolibet humano cõſilio ſuperelcuare ſe quemquã poſſe illius priuilegio, quem Chriſti vox prætulit vniuerſis, cuius eccleſia veneranda ſemper confeſſa eſt, & obſeruat deuota primatum. Impeti vero poſſunt humanis præſumptionibus, quæ diuino ſunt conſtituta iudicio, vinci autem quorumlibet poteſtate non poſſunt, &c.

Dardaniæ vero Epiſcopis, qui ad ipſum cauillationes Græcanicorum Epiſcoporum retulerant, reſpondens: Retulit, inquit, dilectio veſtra, iacta-

re aduerſarios, ideo Acatium non putare iure damnatum, quod non ſpeciali ſynodo videatur fuiſſe deiectus, præcipue Pontificem regiæ ciuitatis. Quam cauillationem eorum remouens, multis primum exemplis demonſtrat, in vnaquaque hæreſi, omnes complices, ſectatores, & communicatores damnatæ ſemel prauitatis, pari ſorte cenſeri, & principali damnationis adſtringi ſententia: eiuſque exequendi præcipuam curam pertinere ad autoritatem ſedis apoſtolicæ. Quę, inquit, vnamquamque ſynodum ſua autoritate confirmat, & cōtinua moderatione cuſtodit, pro ſuo videlicet principatu, quem beatus Petrus domini voce perceptū, tota Chriſti eccleſia conſentiente, & retinuit ſemper, & retinet, &c. Ideo autem negari nō poſſe iuſte damnatum Acatium, quod proprijs literis confeſſus fuerat, ſe Petri illius Alexandrini, quem, expetita ſedis apoſtolicæ autoritate, executor ipſe quoque damnauerat, ſe communione permixtū, &c. Nec plane, inquit, tacemus, quod cuncta per mundum nouit eccleſia: Quoniam non quorumlibet ſententia Pontificū ligata a ſede B. Petri ius habeat reſoluendi, vtpote quæ de vniuerſa eccleſia ius habet iudicandi, nec de eius licet iudicare iudicio. Si-

qui

quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt: ab illa autem nemo appellare permiſſus eſt,&c. Sed nec illa præterimus,quod apoſtolica ſedes ſine vlla ſynodo præcedente ſoluendi, quos ſynodus iniqua damnauerat, & damnandi nulla exiſtente ſynodo, quos oportuit, habuerit poteſtatem. Sanctæ quippe memoriæ Athanaſium ſynodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum ſedes apoſtolica, quia damnationi Græcorũ non conſenſerat,abſoluit. Aeque ſanctæ memoriæ Ioãnem Conſtantinopolitanũ Epiſcopum(Chryſoſtomum intelligit) ſynodus etiã catholicorꝫ præſulum damnauerat, quẽ ſimili modo ſedes apoſtolica ſola,quia non conſenſit,abſoluit. Itemq́ꝫ ſanctum Flauianum Pontificem,Græcorꝫ congregatione ac ſynodo damnatũ, pari tenore, ſola apoſtolica ſedes abſoluit,atq́ꝫ eũ potius, qui illius dãnationis autor fuerat,Dioſcorꝫ ſecũdæ ſedis præſulẽ,ſua autoritatẽ damnauit,& impiam ſynodũ ſola non conſentiendo ſubmouit: vtq́ꝫ Chalcedonẽſis deinde ſynodus fieret,ſola decreuit,& hoc nimirꝫ pro ſuo illo principatu, quem B. Petrus domini voce perceptum, & tenuit ſemper,& tenebit. Sicut ergo ſola ius habuit abſoluendi eos,quos ſynodica decreta perculerant:

ſic etiam ſine ſynodo, in eadem cauſa, multos etiam Metropolitanos damnaſſe cognoſcitur, &c.

Hæc ille Gelaſius, longe ante annos mille. Quæ ſi diligenter perpenderis, ſi rem ipſam, de qua, ſi eos, ad quos iſta ſcripſerit, ſi ipſam ſcribendi energiam, libertatem, confidentiam, vel ſola Romanorũ Pon. autoritatem, quanta ſuper vniuerſam eccleſiam eo ſæculo fuerit, tibi comprobare ſufficient. Nec minus apud te momenti habebunt, quod ſcripta ſunt a Romano Pontifice, cum re ipſa verbis ſuis fidem faciat, euidentiſſimis exemplis & hiſtorijs demonſtrans, cunctam hoc per orbem recognouiſſe eccleſiam, ligata ą ſede B. Petri ſolui non poſſe quorumlibet aliorum ſententia Pontificum. Illam vero ſoluere ligatos, etiam a quorumlibet Epiſcoporum ſynodis, & male ſolutos alligare. Ad illam iuſſiſſe canones appellatiões totius eccleſiæ deferri: ab eius vero iudicio nunq̃ appellari, vt quod vltimum, ſacroſanctum, ratumq; etiam cœlis eſt. Illam de tota eccleſia iudicare, nullius vero, quam vnius Dei, ſubiacere iudicio, a quo ſpecialis priuilegij prærogatiua cõſeruatur, dirigitur, & gubernatur ad vtilitatẽ Chriſti eccleſiæ, ita vt ab ea quærentes iudicij veritatem

ſem-

ſemper inueniant. Quæ vniuerſa adeo confeſſa ac notoria eo ſæculo fuiſſe conſtat, vt ad ea comprobanda haud alios teſtes requirat, quam eos ipſos, aduerſus quod ſcribit, eorundem conſcientiam & totius orbis conſenſum, confeſſionemq́ appellans. Quæ ſi adiunxeris ad ea, quæ ſupra induximus, nec minus, quæ ſubiuncturi adhuc ſumus, non intelligo, quid ſcrupuli Chriſtiano cuiquam de eo, quod demonſtrãdum hic aſſumpſimus, relinquere poſſunt. Quin & exitus eius, quam nunc tractamus, Tragœdiæ, clariſſime comprobabit, vnius Romani Pontificis autoritati, victum ſua conſcientia Orientem, atq́ adeo orbem ceſſiſſe vniuerſum: illiq́ ſua colla ſupplices rurſus ſubdidiſſe, a quo inique ſe ſubtraxiſſe recognouerũt. Ad quam vt iam reuertamur, res ipſe nos monet.

Cum in demortui illius Acatij locum tandẽ Ioannes electus eſſet Epiſcopus, & fruſtra ſæpe laboraſſet apud ſucceſſores Gelaſij pro obtinenda cõfirmatiõe canonica, & nouiſſime apud Hormiſdã: ab eodẽ amice & paterne eſt admonitus, vt anathematizaret prædeceſſorẽ ſuum Acatium, vna cũ impijs eius actis & exceſſibus, ſi haberi vellet inter Epiſcopos

pos

pos orthodoxos & catholicos. Quod ille, q̃uis cuperet, non tamen audebat, viuo illo Imperatore Anaſtaſio, qui per ſe impius, ab hæreticis illis & ſchiſmaticis Orientis Epiſcopis in impietate ſua magis obduratus fuerat. At hoc tandem ſublato e medio nõ ſine manifeſto diuinæ in illum vindictæ iudicio, ſiquidẽ fulmine ictus Dei iudicio pœnas dediſſe publice creditum eſt, tum propter hæreticam impietatem, qua ipſe infectus, ſuo cõſortio, ac fauore illo Imperiali, plæroſq; Græcorũ Epiſcopos infecerat, tum vel maxime, qm̃ legatos Hormiſdæ, qui procurãdæ pacis eccleſiarũ cauſa Conſtantinopolim venerant, Euodium Ticinenſem, & Fortunatum Catinẽſem Epiſcopos, Venantium Romanæ eccleſiæ presbyterum, & Vitalem diaconum, non ſolum aduerſus omnem religionem, ſed etiam aduerſus ius gentiũ, nefandiſſime violauerat: & magnis iniurijs, contumelijſq; non ſine multorum dolore atque indignatione affecerat. Hoc, inquam, omnis mali & diſcordiæ incentore ſublato e medio, cum Iuſtinus orthodoxæ fidei zelator, Reipublicæ ſuſcepiſſet gubernacula, quo ab eadem & Imperio, expiaret tam immane, tamq; impium prædeceſſoris ſui facinus, miſſa cõtinuo ad Hormiſdam honorifica legatione, apo-
ſtolicæ

ſtolicæ ſedis cõmunionem reuerenter, humiliterq; expetijt, & debitam ei reuerentiam obedientiamq; detulit. De pace itẽ eccleſiarũ, & imprimis Conſtantinopolitanæ, Ioannisq; Epiſcopi eius reconciliatione & confirmatione obtinenda, egit diligenter. Ad quem cum idem Pontifex viciſſim mitteret legatos ſuos, Germanum Capuanum Epiſcopum, Ioannẽ & Blandum Romanæ eccleſiæ presbyteros, Felicẽ & Dioſcorum diaconos, præſcripta eis forma, qua Conſtantinopolitanam eccleſiam, vna cum Ioanne ſi reconciliari mererentur, in cõmunionem apoſtolicæ ſedis reciperent, & Ioannem in eadem eccleſia confirmarent: eoſdem illos nullo non adhibito honoris genere, & publicæ lætitiæ teſte pompa inſigni effuſa obuiam illis tam illuſtrium virorum, quã cleri, monachorum & populi tanta multitudine, vt vrbs ipſa ſedibus ſuis migrare videretur (omnes enim diutini ſchiſmatis Acatij culpa inchoati, & Anaſtaſij Imperatoris impietate protracti, iam diu multumque pertæſi, magno reconciliationis deſyderio tenebantur) honorificentiſſime excepit Imperator: & Ioannes Epiſcopus, apoſtolicæ ſedis & legatorum eius mandata omnia, cõgratulante principe, clero, & vniuerſo populo, humiliter reueren-

terque accepit, & fideliter adimpleuit, profeſſio-
nemque fidei catholicæ eccleſiæ, propriæ quoque
manus ſubſcriptione, publice corã omnibus pro-
feſſus eſt: etiam dicto in ſe anathemate, ſi ab eadem
vnquam deuiaret in poſterum. Cuius hiſtoriæ fi-
des, & ex actis quintæ vniuerſalis ſynodi Conſtan-
tinopolitanæ ſecundæ, & ex Iuſtini Imperatoris, &
Ioannis Epiſcopi ad Hormiſdam literis, ex huius
quoq; epiſtolis ad diuerſos, nempe ad Ioannem Mi
leuitanum, ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ad Epiphaniũ,
ad Epiſcopos Beticę prouinciæ, clariſſime conſtat.

Iuſtinus autem, hac de re, inter cætera in hæc ver
ba ſcripſit Hormiſdæ Pontifici. Scias nobis pater
religioſiſſime, quod diu ſummis ſtudijs quærеba-
tur, patefactum, etiam antequam aduenirent, qui a
vobis deſtinati ſunt, quod Ioannes vir beatiſſimus,
antiſtes nouæ Romæ noſter, vna cum clero vobis
conſentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis
diuiſi diſcordijs. Scias libellum ab eo ſubſcriptum,
quem offerendum iudicaueras, ſanctiſſimorum pa
trum concilio congruentem. Quo omnes concur-
runt (alacri opera ſuſcipientes vota, tam noſtra,
quam Conſtantinopolitanæ ſedis, quos veritatis
coruſcus

coruſcus fulgor illuminat) omnes accelerant libentiſſime, quos delectat via dilucida, vt ſequantur ſcita patrum ſanctiſſima, leges probatiſſimas, & cõſilijs quorundam firmatas, qui rectum tenebant tramitem, aliorum correctis qui vagabantur incerti, in eo res colligitur, vt vnitatem indiuiduæ trinitatis ipſi quoq; in vnitate colant mentium. Negatum eſt, inter diuina myſteria memoriam in poſterũ fieri præuaricatoris Acatij, quondam regiæ huius vrbis Epiſcopi: nec non aliorũ ſacerdotum qui vel primi contra ſtatuta venerunt apoſtolica, vel ſucceſſores erroris facti ſunt, & nulla vſq; ad vltimum diẽ ſunt pœnitẽtia correcti. Et qm̃ oẽs noſtræ religionis admonendi ſunt, vt exemplum ſequantur ciuitatis regiæ, deſtinanda vbiq; principalia præcepta ediximus, &c. Oret igitur veſtræ religionis ſanctitas, vt quod peruigili ſtudio pro cõcordia eccleſiæ catholicę procuratur, diuini muneris opitulatio, iugi perpetuitate ſeruare annuat, &c. Hactenus ille.

Tenorem autem confeſſionis & libelli, de quo in his Iuſtini literis fit mentio, ſupra adſcripſimus. Habebat autem, ſi meminiſti (neque enim inutile eſt rurſus id inculcari) omnibus eſſe ad ſalutem

 neceſſa-

neceſſarium, vt rectæ fidei regulam cuſtodiant, & a patrum traditione nullatenus deuient: agnoſcant præterea infallibilem illam Chriſti ſententiam, qua Simonē Ioannis Cepham, hoc eſt, petrā fundamentumq; ſuperędificandæ eccleſiæ ſuæ, pronunciauit nunq̃ deficere in eius cathedra & ſucceſſoribus: cōteſtante hoc ipm rer: euidentia & effectibus. Inuiolabilem ſiquidē fidem catholicam, ſingulari in eadē præuilegio ſemper cuſtodiri: proinde & eandē velut orthodoxæ fidei magiſtrā oēs ſeq: & præceptis decretisq; eius eidēq; præſidentiū Pontificū velut præpoſitor: a Chriſto eccleſiaſticæ ſuæ domus familiæ, oēs qui ad eandem familiam pertinēt obedientiam debere, Non pertinere aūt ad eandem, ſed a communione eius alienos eſſe, qui illi non cōmunicāt, non ſubſunt, non vniuntur & cohærent, vt ſuo fundamento ædificiū. Hæc, inquam, illa continebat profeſſio, fidei catholicę eccleſiæ et ſanctiſſimor: patrum conſona: ſub qua Ioannes ille Epiſcopus vna cū Conſtantinopolitana eccleſia, & poſt eos alij plurimi Epiſcopor: cū ſuis eccleſijs, tam Illyrici, Thraciæ, Scythiæ, Syriæ, cæterarumq; regionum per Orientem & Septentrionem ad ſedis apoſtolicæ communionem & catholicæ eccleſiæ recipi meruerunt

a dicto

a dicto ſchiſmate. Vt intelligas, domino procurante nunquam demergi nauiculam illam Petri, quantumuis videatur fluctibus obrui. ſemper triumphare eius iudicium: ſemper eius autoritatem præualere, quantumuis omnes mundi poteſtates reluctentur.

Sed vt reuertamur ad inchoatã Tragœdiã, eiq; finem aliquando imponamus: Cum plæræq; per Orientem eccleſiæ, vt auferrerẽtur e dipticijs ſacris ſuorum antiſtitum defunctorum nomina, quorũ memoriã venerabãtur (qui tamen excommunicatorum Acatij & reliquorum communione, neceſſitate quadã polluti fuerant) nulla ratione adduci poſſent: & ob id impediretur earundem reconciliatio & optata vnitas, hinc religioſiſſ. Imperator eãdem ſupra modum zelans, miſſis rurſus ad apoſtolicã ſedem ſuis oratoribus, hanc pro illis veniam deprecatus eſt: petens remitti ſeueritati aliquid, & mollius clementiuſq; cum illis agi: ne paruo diſcrimine imperfecta manerent pacis deſyderia, ſed remiſſis conceſſiſq; exiguis maiora grauioraq; corrigerentur. Veniam itaque nominum, inquit, poſtulamus, non Acatij, non vtriuſque Petri, non Dioſcori, vel

Timothei,quorum vocabula datæ ad nos ſanctita tis v. literę continebant:ſed quos in alijs celebrauit ciuitatis populorum reuerentia.Et hoc,exceptis vr bibus vbi veſtræ beatitudinis libellus in plenum admiſſus eſt. Niſi & hanc quoq; partem beneuo⸗lentia veſtra ſtatuerit mitius corrigendam, &c. Et hoc quidem non dubitaueris ita nobis gratum fu⸗turum,vt pacifico ſtatim reſponſo lætior mundus reddatur.Hæc ille Imperator religioſiſſ.Iuſtinus.

Ex qbus omnibus,quæ ante annos mille & ſcri⸗pta & geſta ſunt, intelligis puto Chriſtianæ lector, non ſolum,quanta fuerit,quam a toto orbe recogni ta in illa primitiua eccleſia, ſed etiam quam neceſſa⸗ria huius ſedis autoritas: vtq; ſine ea nihil perman⸗ſiſſet in eccleſia ſyncerum & integrum,per eam ve⸗ro eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, & orthodoxæ fi⸗dei integritas ſemper perſtiterint. Eſſe proinde ni⸗hil quod dubites,aduerſus hanc, quam nunc inue⸗ctam in eccleſiam cernimus horrendam confuſio⸗nem rerum omnium,aduerſus neglectum contem ptumq; diſciplinæ eccleſiaſticæ, aduerſus introdu⸗cta in religionem diſſidia, nullũ aliud執ſupereſſe effi cax certũq; remediũ, q̃ vt ecceſiaſticæ Hierarchiæ

ſuus

ſuus ordo, ſuus vigor atqꝫ eius præſidi ſua reſtituatur dignitas, autoritas, et maieſtas: vtqꝫ in eo, atqꝫ vna eius ſede religioſe agnoſcatur, quod Chriſtus ſua illi oratione impetrauit, indefectibilis fidei priuilegium, vniuerſæ (quod toties audiſti) eccleſiæ tam neceſſarium, vt ſine eo nulla perduraſſet in ea vnitas fidei & ſynceritas. Quoties enim cõuenerunt in vnum eccleſiarũ principes, aduerſus dñm, aduerſus Chriſtum eius? aduerſus ſanctiſſimorum conciliorum autoritatem, a quibus orthodoxæ fidei veritas contra impietatem hæreticorum, nobis explicata definitaqꝫ fuerat? Aduerſus illud omniũ, vt primũ, ita ſacratiſſimũ Nicenum, nunquid primo Tyriũ, deinde Antiochenũ, poſtremo Ariminenſe, celeberrima Epiſcoporũ concilia celebrata nõ fuere? Et hæc vniuerſa, vnius apoſtolicæ ſedis an nõ deiecit autoritas, et Niceni concilij autoritatẽ aſſeruit? Aduerſus quoqꝫ Chalcedonẽſis ſynodi definitionẽ, ex nũc explicata Tragœdia intellexiſti, quantũ, quãdiu, & quã pertinaciter conſpirauerit Oriens pene vniuerſus: ſed vnius ſedis huius autoritate eius autoritas perſtitit. Vt intelligas veriſſime dictum ab illo Gelaſio, vnamquamqꝫ ab ea ſynodum confirmari, & cõtinua moderatione cuſtodiri. Vnã hanc vni-

uer-

uerſæ ſemper eccleſiæ, orthodoxæ fidei & regulam ſe præſtitiſſe & vindicem, ſuæq; autoritatis gladiũ in hæreticorum impiorumq; damnationem, vniuerſa Chriſti approbante eccleſia, vi magna diſtrinxiſſe. Cuius rei, præter ea quę iam audiſti, vt adhuc exempla hic nonnulla ſubijciamus.

Damaſus ille, qua apoſtolicę autoritatis vehemẽtia Sabellianos, Ennomianos, Macedonianoſq; perſecutus ſit, vtq; illos cum impijs adinuentionibus ſuis ſubiecerit perpetui anathematis vinculo, teſtatur eiuſdem ad Paulinum Theſſalonicenſem Epiſcopum, ſuum et apoſtolicæ ſedis per Orientem vicarium epiſtola: qua illi præcepit, vt ſuam in eos cẽſuram ac ſententiam publicari, & inuiolabiliter obſeruari curaret per Orientis eccleſias. Quorum impietas cum latius diſperſa altiores egiſſet radices, q̃ quæ euelli facile poſſent, & efficaciori videretur indigere remedio, eorundem cauſa, ſub Gratiano & Theodoſio principibus, ex eiuſdem Damaſi autoritate, Conſtantinopoli celebrata altera poſt Nicenam vniuerſali ſynodo, in eandem conuenietes ex vniuerſa eccleſia orthodoxi Epiſcopi, eiuſdẽ illius, tanq̃ de nauicula Petri loquentis nobis, Chriſti ſen-

ten-

ſectiam ſecuti ſunt per omnia: atq; illos ab orthodoxa fide & Chriſti eccleſia alienos rite pronunciatos agnouerunt.

Idem ille Damaſus, Apollinarem Laodicenſem Epiſcopum de Chriſti humanitate noua dogmata ingerentem, vna cum Timotheo eius diſcipulo, apoſtolicæ ſeueritatis gladio proſtrauit: quem ſibi Chriſtiq; eccleſiæ (q̃ eius hæreſi inficiebatur) ſupplices implorarunt totius Orientis Epiſcopi. Id q̊d eiuſdē ad ipſos epiſtola ſatis indicat, quē Theodoretus ille Cyrenenſis Epiſcopus, eccleſiaſticarꝝ rerũ illius temporis ſcriptor diligentiſſimus lib. V. hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit in hæc verba.

Quod debitam reuerentiam apoſtolicæ ſedi veſtra habet charitas, vobis filij chariſſimi præſtatis ipſi plurimum: tametſi in ſancta hac maxime eccleſia (vbi ſanctus ille Apoſtolus ſedens docuit) nobis gubernaculi, aut claui, quem tenendum accepimus officio incũbente, inferiores nos tanto honore fateamur. Scitote igitur, profanũ illum Timotheum diſcipulũ Apollinaris hæretici, vna cũ impio eius dogmate, iamdudũ a nobis exautoratũ, &c. Licet aũt hanc epiſtolam dicto loco, atq; alibi integrã legere.

Quanti vero illud exiſtimandum eſt, quod idē ille Theodoretus in ipſo libri quinti hiſtoriæ ſuæ initio ſcribit: Cum enim impiorū Imperatorū nonnullorum, & Epiſcoporum eiſdem cōſentientium culpa, vniuerſa illa Orientalis eccleſia fœdiſſima ordinum omnium confuſione aliquandiu perturbata permāſiſſet, & orthodoxis Epiſcopis magna ex parte deturbatis ac relegatis, ab hæreticis paſſim occuparentur eccleſię: Gratianus vere orthodoxus et ſapiētiſſimus princeps, mox vt Imperio inauguratus fuerat, zelans orthodoxæ fidei ſynceritatem per Oriētem reſtituere, legē promulgauit, vt quicunq; Ro. Pon. Damaſo communione & fide non ſociarentur, tenere non poſſent eccleſias, ſed ab eis expellerētur: miſſo ad eius executionem per vniuerſum Orientem, quam late eius patebat Imperium, ex primoribus ſuis ducibus Sapore. Non fuit viſum ſapientiſſimo & Chriſtianiſſimo principi, & zelatori orthodoxæ fidei, de fide ſingulorum diſputatione inquirendum, num eſſet orthodoxa et ſyncera, ſed ſingulorum fidem, ad fidē vnius Damaſi, hoc eſt, Romanæ eccleſiæ, velut ad Lydium quendam lapidem, & certam amuſſim orthodoxæ fidei, ſimpliciter explorandam putabat: a qua quicquid diſcrepa-

ſcrepa-

ſcreparet, certum habebat eſſe erroneum: quicquid eidem quadraret, orthodoxum & catholicum.

In Iouinianum & complices, qua autoritatis vehementia inſurrexerit Siricius, illius Damaſi ſucceſſor, eoſdem cum execrando ſuo dogmate, anathematis proſternens ſententia, vtque ea ab vniuerſa eccleſia (qua decuit reuerentia) excepta fuerit, teſtantur ſynodales plæræq; literæ Epiſcopaliū conuentuum, et imprimis Aphricanorum Epiſcoporum ex Thelenſi ſynodo ad eundem Siricium in hæc verba. Recognouimus per literas S. T. boni paſtoris excubias, qui diligenter commiſſum tibi gregem ſerues, & pia ſollicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus quem oues domini audiant & ſequantur, &c. Poſt multa autem ita claudunt epiſtolam. Iouinianum itaq;, Auxentium, Germinatorē, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Ianuarium & Ingenioſum, quos ſanctitas tua damnauit, ſcias apud nos quoque ſecundum iudicium tuum damnatos haberi. In eandem fere ſententiam ad eundem ſcripſerunt Epiſcopi, qui Mediolani eadem de cauſa conuenerant vna cum beato Ambroſio.

Quod tanta eo ſæculo fuerit, tamq́ veneranda Ro.Pon.toto orbe autoritas, vt quæ pro diuerſis ſi dei eccleſiaſticiſq́ negocijs,ſuis epiſtolis(quæ decretorum ſemper autoritatem obtinuerũt per vniuerſam Chriſti eccleſiam)ad diuerſos ſcriberent,haud ſecus acciperentur ab omnibus, q̃ ſi de nauicula Petri ea ipſa dictaſſet ac prolocutus eſſet Chriſtus,teſtimonio ſunt in Aphricano concilio tot venientes ſancti Epiſcopi aduerſus Pelagianam hæreſim, aduerſus quam,velut præcipuum argumentum, deſumpſerunt ex B. Zozimi adhuc viuentis, quamuis in aliam cauſam, ad vniuerſos catholicæ eccleſiæ Epiſcopos ſcripta epiſtola. In qua hæc eius verba. Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim in ſuũ autorem referenda ſunt vnde naſcuntur)ad fratrũ & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam omnia retulimus ,qui attente, religioſeq́ obſeruarunt. Quod teſtatur eorundem ſynodalis ad eundem Zozimum epiſtola inter cætera, in hæc verba. Illud vero , quod in literis, quas ad vniuerſas prouincias curaſti eſſe mittendas , poſuiſti , dicens (Nos autem inſtinctu Dei, &c.)ſic accepimus dictum,vt illorum qui cõtra Dei adiutorium humani extollũt arbitrij libertatem diſtricto gladio,velut cur-

curſim tranſiens, blaſphemam amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quam quod vniuerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſtis? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe, fideliter ſapienterque vidiſtis: veraciter fidenterque vt dixiſtis. Ideo vtique, quia à domino præparatur voluntas, & vt boni aliquid agant, ſuorum ipſe tangit corda fidelium, &c. Hæc illi in Thelenſi ſynodo congregati Epiſcopi. B. Cœleſtinus in epiſtola ad Venereum cæteroſque Galliarum Epiſcopos, aduerſus eoſdem illos Pelagianos gratiæ Dei inimicos, affirmat plæroſq; tunc fuiſſe per eccleſiam Epiſcopos orthodoxos, qui tametſi execrarentur atq; anathematizarent impietatem Pelagij & Cœleſtij, ſecundum iudicium ſedis apoſtolicæ vehementer tamen improbrarent eorum ſtudia, qui multis voluminibus aduerſus errores illorum diſputauerunt: vt re ipſa experti, quod ſupra admonuimus atq; alibi copioſius adſtruximus, aduerſus hęreticos, ingenioſos præſertim, acutos ac dialecticos & in ſcripturis diligenter verſatos, non ſolum eſſe inutilem, ſed etiam pernicioſam de ſcripturis cõflictationem, vt quæ fere ad nihil aliud valeat, quam vt ex ſcintilla euentilando maiorem ignem faciat, auditores autem, ſimplicio-

res præſertim, de certis dubitare faciat. Sed hoc ipſis potius videbatur, vt abſq; vlla diſputatione, & ſimpliciter ſequerentur omnes, quæ ſacratiſſima B. Petri Apoſtolorum principis ſedes, contra inimicos gratiæ Dei ſanciuit & docuit per ſuorꝫ præſulum miniſterium. Cuius rei gratia, idē Cœleſtinus quæ a B. Innocentio, Zozimo, & alijs aduerſus eandem hæreſim dicta fuere, digeſſit per capita.

Hoc certe conſtat de Cœleſtio, vt nulli ſynodali autoritati ceſſerit, nullis doctiſſimorꝫ patrū aduerſus ipſum ſcribentiū rationibus diſputationibusq; ſuperari valuerit, ſed ſola vnius Romani Pontificis autoritate: non audēs (quod de eo D. Auguſtinus lib. II. aduerſus eundem & Pelagianum teſtatur) B. Innocentij Pontificis literis reſiſtere: ſed promittens omnia, quæ apoſtolica ſedes damnaret, ſe etiam damnaturum. Nam & rationes & ſcripturas ingenio ſus homo, & ad diſputationes apte compoſitus, alio vertebat & eludebat facile. At huius ſedis autoritatem toto vt demonſtrauimus orbe recognitam, nec eludere potuit, nec inuertere, nec contemnere.

Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui

qui impie bipartiebat Chriſtum, idem Cœleſtinus apoſtolicæ autoritatis mucrone confodit. Cui cum terminum præfixiſſet, vt totius pene Orientis aduerſus Anthenium beato Agapeto porrectus accuſationis libellus continet, intra quem ſibi ſanæ fidei, qualem exigebat, profeſſionem exhibere, & ſe omni prorſus hæreſis ſuſpicione liberare, & in cæteris quoque omnibus apoſtolicæ ſedis iuſſis obtemperare deberet, præuaricatorem, nec obſequentem mādatis ſuis, anathematis maledictioni ſubiectum abiecit e domo eccleſiaſtica. Ex qua cum latius diſperſum venenum propter ſectatores & infectos ab illo plurimos, efficaciorem vim remedij expoſcere deinceps videretur, eiuſdem Pontificis autoritate generali Epiſcoporum conuocatione facta in Epheſo, ijdem illi cuius tanquam Chriſti ipſius de cathedra Petri loquentis ſententiam reuerentiſſime exceperunt. Sic cum & ille Eutices, Neſtorianæ impietati impietatem contrariam aliquanto poſt introduceret, beatiſſ. Leo eandem damnationi atque anathemati ſubiecit. Et cum propter ſectatorum multitudinem, & longe lateque diſperſum impietatis venenū, videretur Imperatori Theodoſio iuniori vtile, vt generalis Epiſcoporum conuocatio

catio fieret,ea quidem ſecundo in Epheſo eiuſdem Leonis autoritate facta eſt,ſed Dioſcori ſtudio pręuaricata,præſcriptum ſedis apoſtolicæ,eiuſdem orthodoxam aduerſus impietatem Euticetis ſententiam improbans,hanc amplexa & ſecuta eſt. Aduerſus quã magna autoritate inſurgens ille Leo,orthodoxam fidem tutatus, nec quicq̃ moratus autoritatem vniuerſalis,ſed impij concilij, præuaricationis autorem q̃uis ſecundæ ſedis antiſtitem,perpetuo anathemati ſubiecit, & vt Chalcedonenſis ſynodus celebraretur, maxime expetẽte hoc ipſum pro pace eccleſiarũ Martiano principe Chriſtianiſſ.autor extitit.In qua tamen,nec diſputari quidem, nec inquiri permiſit, an impie ſenſerit Eutices, an iuſte dãnatus a ſe Dioſcorus,ſed tantum vt congrua pacis media inquirerent atq; inuenirent:atque ita ſtuderent reconciliationi Epiſcoporum, qui Dioſcorũ ſecuti impietati eius in concilio illo ſubſcripſerant, ne orthodoxis plæriſq; (qui prætextu ſynodalis autoritatis,cui aduerſus apoſtolicæ ſedis autoritatem conſentire recuſabant, ſuis ſedibus pulſi fuerant, in eorum locum ſubſtitutis alijs)id detrimento foret: In definitis autem & iudicatis iam dudum a ſede apoſtolica ſimpliciter ſequerentur eius ſententiã.Quod ipſum,

ipſum, & reuerenter & obedienter fideliterq; fecerunt.

Hoc eſt, quod illi B. Proſpero Reginenſi Epiſcopo neceſſarium imprimis viſum eſt, ne cum his qui quotidie emergũt hæreticis, noua diſputatione congrediamur, ſed vnius apoſtolicæ ſedis autoritatem aduerſus eos ſequi nos oportere. Nec erat, inquit, noua cum iſtis acie dimicandum, nec quaſi contra ignotos hoſtes ſpecialia ineunda certamina. Tunc iſtorum agmina fracta ſunt, tunc in ſuperbiæ ſocijs & principibus corruerunt, quando B. memoriæ Innocentius nefarij dogmatis errorem apoſtolico mucrone percuſſit: quando Pelagium, ad proferẽdam in ſe ſuosq; ſententiam, Paleſtinorum Epiſcopoꝶ ſynodo coarctauit: quando Aphricanorum conciliorꝫ decretis B. memoriæ Zozimus ſententiæ ſuæ robur annexuit, & ad impiorꝫ detruncationem, gladio B. Petri dextras omnium armauit antiſtitum: quando ſanctæ memoriæ Bonifacius Papa, pijſſimorum Imperatorum catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei, non ſolum apoſtolicis, verumetiam regijs vtebatur edictis, &c. Cœleſtinus quoq; Cœleſtium totius Italiæ finibus extrudi iuſſit: adeo & prædeceſſorũ ſuorum ſtatuta,

& ſynodalia decreta,inuiolabiliter obſeruanda cenſebat,vt quod ſemel meruerat abſcindi, nõ permitteret retractari. Nec vero ſegniori cura ab eodem morbo Britannias liberauit: ſiquidem inimicos quoſdam gratiæ Dei ſolum originis ſuæ occupantes,etiam ab illo ſecreto Oceani exclusit: & ordinato Gothis Epiſcopo, cum Romanam inſulam ſtudet facere catholicam, etiam barbaram fecit Chriſtianam. Per hunc vnum etiam Orientales eccleſiæ gemina peſte purgatæ ſunt,quando B.Cyrillo Alexandrino antiſtiti glorioſiſſimo fidei defenſori,apoſtolico auxiliatus eſt gladio. Hæc ille Proſper aduerſus librum Caſſiani,qui protectio Dei inſcribitur.

Cum poſt damnatas Neſtorij & Euticetis pugnãtes hæreſes,circa incarnationis diuini verbi myſterium, Petrus Antiochenus Epiſcopus nouã circa idem prodigioſamque impietatem introducere conaretur,nũc trinitatem ipſam,nunc diuinitatem, nunc immortalem ſpiritum, carnem in ſui vnitatem, & pro nobis paſſionis contumeliam & mortem aſſumpſiſſe affirmans. Et propterea in Cherubico illo hymno, quẽ euidenti miraculo reuelatum in Lætanijs decãtat eccleſia (Sanctus Deus, ſanctus

fortis

fortis,ſanctus immortalis miſerere nobis) adderet poſt(immortalis)qui crucifixus es pro nobis,deinde ſubiungẽs quod ſequitur,miſerere nobis:argueretur autem de illo a coepiſcopis orthodoxis & catholicis,vnam illi minitantur cenſuram, damnationemq́ ſedis apoſtolicæ, niſi mature reſipiſcat.Ita enim ad illũ Iuſtinus Sycelliæ Epiſcopus poſt multa alia.Ceſſa igitur,inquit, ab huiuſmodi tua impia præcipitatione, non addas ſcandalum ſcandalo, & non ſis amplius cauſa perditionis ſimplicium hominum: ne præſidens noſter Felix ſecundum canones ſententiam dicat contra te. Nec tunc iuuabit tibi dicere. Ego vtiliter hoc appoſui, crucifixum in triſagio (ita Cherubicum hymnum illum appellant) confiteri,&c. Ita quoque Cincianus Accluſianus Epiſcopus ad eundem,poſt admonitionẽ prolixam,vt de incarnationis verbi myſterio pergeret ſentire cũ catholica eccleſia,illius hymni tenorem,vt ab eadem decantatur,diuino miraculo reuelatũ demonſtrãs:vtq́ ſub B.Proclo Conſtantinopolitano Epiſcopo,eundẽ in Lętanijs decãtante populo,ceſſauerit ruina et terręmotus vrbis regiæ.Sic ergo,inq̃t, & tu Lætanias fac,& pauſabit ira,quæ cõtra te proferenda eſt.Sin aũt,veniet ſuper te depoſitio a Papa

noſtro Felice. Cuſtodiat Deus mundũ a ſcandalis, &c. Cum aũt ille, nec p̃dictorꝶ, nec aliorꝶ quam plurimorꝶ correptione reſipiſceret, protulit tandẽ Felix in eundem damnationis ſententiam, & ab Antiochena ſede depoſuit. Quod teſtatur eiuſdem ad illum epiſtola, in qua poſt alia multa. Dicemus ergo, inquit, tibi. Quoniam dilexiſti iniquitatem magis loqui quam iuſtitiam, dilexiſti ſuper omnia verba præcipitationis, & linguam doloſam, propter hoc Deus deſtruet te in finem, depoſitum a nobis, non ſolum ab Antiochena eccleſia, ſed ab omni honore ſacerdotali. Et firma ſit hæc depoſitio tua a me, & ab his, qui vna mecum apoſtolicum thronum regunt, &c. Hæc ille Felix. Cuius etiam prædictorum epiſtolas integras legere potes in actis v. ſynodi, in quæ relatæ ſunt: nec earundem tibi fides ſuſpecta eſſe poterit.

Ex his omnibus puto lector Chriſtiane, clariſſime intelligis, ipſam quæ ab initio cernitur rei euidẽtiam ordini, formæ, ac faciei Chriſtianæ eccleſiæ, quales ante & copioſius alibi ex diuinarum ſcripturarum irrefragabili autoritate demonſtrauimus, exactiſſime ſubſcribere: & quis fuerit me-

lio-

lioribus illis eccleſiæ tẽporibus, dum in vniuerſum pene orbem longe lateq́; ſuos palmites & ramos extenderet totius ſenſus et cõſenſus de autoritate Ro. eccleſiæ atq́; eius Põtificis. Cuius nutu & imperio, non ſecus q̃ patrisfamilias cuiuſdam, regebatur vniuerſa domus eccleſiaſtica, ad quẽ vnum referebatur, quicquid in vniuerſa eccleſia natũ erat grauioris negocij & controuerſiæ: cuius autoritate definiebãtur vniuerſæ quæſtiones, quæ circa fidẽ religionẽque exortæ fuerant. Qui ab vniuerſis toto orbe & maxime primarũ ſedium Epiſcopis, ſolebat officij eorum rationem exigere: delinquẽtes pro exceſſus modo liberrima autoritate punire, incorrigibiles priuare omni honore, dignitate, et officio eccleſiaſticis, nec ſolum e ſuis ſedibus, ſed ab vniuerſa Chriſti eccleſia abijcere. Cum quo quiſquis non cõmunicabat, alienus a catholica eccleſia habebatur a Chriſtifidelibus et orthodoxis omnibus. Quæ ſi tibi Bucere, ſymmiſtiſq́; tuis, antehac nota fuere, optima ſane ratione non ſolũ admirari, ſed et obſtupeſcere mihi videor, quid vobis rationis & mentis ſit, dũ aliã nobis eccleſiæ formã ac faciem confingitis: hanc vero quæ a Chriſto tam decore conſtituta, ordinata, formataq́; eſt, obſcurare, denſiſſimis tenebris inuolue-

re, & e medio tollere quæritis, qua fronte audeatis vbiq; tam irreuerenter, tam impudenter, tam iniurioſe, tam contumelioſe debacchari in Romanum Pontificem atq; eius cathedram: quomodo toties aduerſum nos iactare: vos ſequi conſenſum catholicæ eccleſiæ, antiquitatis præſertim, & qui fuit melioribus illis eccleſiæ temporibus. Qui ſi vobis ex prædictis perſpectus non eſt (tametſi adhuc magis ex ſequentibus comprobabitur) ſtupendæ profecto ac prodigioſæ cæcitatis veſtræ ipſi contra vos perhibetis teſtimonium.

Vt vero q̃ adduximus omnia, & deinceps inducturi ſumus inaudita hactenus (vt videtur) vobis fuerint, q̃ erit indignitas: quę impudentia veſtra, in tam craſſa antiquitatis omnis ignoratione eius præſertim, vnde ſumma pẽdet omnium diſſidiorum, quæ nũc circa religionem & fidem pernicioſiſſime perturbant Chriſti eccleſiam: vnde vnitas, pax, & ſalus totius eccleſiæ tanto ſupercilio, tanta arrogantia, tam pertinaciter ingerere illa veſtra haud ſane ſana ſomnia, ac docere alios omnes quæ prorſus neſciatis, vniuerſæ antiquitati, atq; adeo catholicæ toto orbe ab initio Chriſti reclamare eccleſiæ, & tamẽ

aſſerere vos ſequi eius conſenſum per omnia? Ex his tamen, vt alterum vobis eligatis neceſſe eſt. Neque enim eſt dare medium. In altero, inuenitur excæcatæ mentis pluſquam diabolica obſtinatia: In altero, prodigioſiſſima & plane intolerabilis impudentia: tametſi rei indignitati mihi nõ ſufficiat aut reſpondeat impudentiæ vocabulum. Vtcunq; autem hæc habeãt, mihi ſatis præſtitiſſe videor, quod primo hoc loco præſtaturũ me receperam: præſertim ſi cum his etiam conferas, quæ adhuc ſubiũctu rus ſum: nempe clariſſime demõſtraſſe ipſam, quæ ab initio cernitur, rei euidentiam, ordini, faciei, formæ Chriſti eccleſiæ, et autoritati in eadẽ ſui igemonici Petri & ſucceſſorum eius Ro. Ponti. quales in eadem inſtitutos a Chriſto, ex diuinis ſcripturis ſupra atque alibi non vno loco euidentiſſimum fecimus, exactiſſime reſpondere. Ex quo tametſi etiam quod ſequenti loco demonſtrãdum propoſuimus (nempe in eccleſiaſticis concilijs celebrandis, aut vbicunque aliquid, quod ad fidem religionemque pertinet, definiendum eſt, cuius vigere ac regnare debeat autoritas) per ſe notum eſt: Buceri tamen tam graue conuitium, quo in euidentiſſima veritate tam impudenter nos mentiri affirmat,

 maio-

maioris nos diligentiæ admonet. Inquiremus itaq; hoc loco quemadmodum propoſuimus, quid proprie de eo ipſo et clariſſime definiat diuinarum ſcripturarum autoritas. Cui ſubiungemus recognitionem ab initio totius catholicæ Chriſti eccleſiæ, & conciliorum ipſorum melioribus eccleſiæ temporibus celebratorum omnium: Quam recipere, amplecti, conſectari etiam Bucerus neceſſarium affirmat omnibus, qui Chriſti eſſe volunt, & reijcere ac fugere quicquid ab eadem eſt diſſentaneum. Age igitur.

Perluſtranti itaq; mihi vniuerſum diuinarum ſcripturarum contextum, & diligenter excutiēti vnus omnino locus occurrit, tractatus quidem a nobis ſuperius, ſed alio reſpectu, quo diuinus ſpiritus, in veteri illo populo eccleſiam noſtram adumbrans atque exprimens, eccleſiaſticorum conciliorum formam, ſpeciem, & autoritatem, & cuius vnius in eis vigere & regnare debeat autoritas, ita clare expreſſit, vt nihil omnino potuerit clarius, nihil expreſſius aut euidentius. Is eſt ille Deuteronomij. ſupra, vt diximus, ſed alio reſpectu tractatus a nobis, quo præcepit, quæſtiones & controuerſias inter

ſe ha-

ſe habentibus, quæ expedire non poterant per conſtitutos in ſingulis ciuitatibus presbyteros ſubalternos populi iudices, vt eas referrent ad locum quẽcunque inter ipſos elegiſſet dominus: ad ipſam nempe Moſi cathedram, in qua domino miniſtrabat ſummus inter ipſos ſacerdos & Pontifex, & ad ſacerdotes & Leuitas, qui in eodem loco, vna cum Pontifice aderant & ſeruiebant tabernaculi, templi & altaris conſtitutis miniſterijs, vt requirerent ab eis quæſtionis & controuerſiæ definitionem & iudicium. Qui, inquit, annunciabunt tibi iudicij veritatem. Quo in loco, hoc primum obſeruabis, mitti controuertentes ad ſacerdotale concilium, non extraordinarium quoddam, aut ex vniuerſa eccleſia ad ſingulas quaſque quæſtiones & controuerſias definiendas, non ſine magna difficultate ac mora congregandum: ſed ad conſtitutum certo notoque omnibus loco, velut ad tribunal quoddam ordinariũ, ſemper ad hoc patens ac paratũ omnibus. Quod concilij ſacerdotalis formam habere debere, clariſſime exprimit. Neque enim ad vnum principem ſacerdotum & Pontificem Maximum, ſed ſimul ad ſacerdotes Leuitas, qui vna cum Pontifice præſide, pro tempore vicis ſuæ eodem in loco miniſtrabãt

 domi-

domino. Qui exquirentes (vt habent Septuaginta interpretes) annunciabunt, inquit, tibi ipſum iudicium, aut, vt habet noſter, veritatem iudicij. Exquirentes, inquam, hoc eſt, inter ſe conſultando inueſtigantes (quod eſt concilij proprium) annunciabunt tibi iudicij veritatem. Quibus etiam verbis, & eos qui controuerſias ſuas illo, quo iuſſit dominus, quamuis ad homines, & peccatores homines, qui & ipſi erroribus circundati ſunt, fideliter referunt, de inuenienda apud eoſdem veritate ſecuros reddidit, & principali cathedræ, ſacerdotalique concilio quod in ea ordinare reſidet, diuinæ aſſiſtentiæ ſingulare priuilegium ſtabiliuit. Cuius inſuper nobis autoritatem commendans. Et facies, inquit, iuxta verbum quod annunciabunt tibi ex loco, quem elegerit dominus Deus tuus. Et cuſtodies valde, vt facias iuxta omnia quæcunque ſancita fuerunt tibi (ita eſt apud Septuaginta) Quod ipſum, in Hebraica veritate legitur aliquanto clarius & ſignificantius. Et cuſtodies, inquit, vt facias iuxta omne quod te docuerint. Iuxta legem quam docuerint, & iuxta iudicium quod dicent tibi, facies. Non diſcedes a verbo quod annunciauerint tibi ad dextram aut ſiniſtram. Ex quibus

vtique

vtique verbis nemo non intelligit, vt ſacroſanctam eſſe voluerit ſacerdotalis eius concilij apud ſuos omnes autoritatem, cui tam indiſcuſſe, tam ſollicite, tam diſtricte omnes prorſus obedire præcepit. Et cuſtodies, inquit, non negligenter aut ſecure, ſed valde (Quod verbum a Septuaginta ſignificationis gratia eſt additum) hoc eſt, admodum ſollicite, vt facias iuxta omne quod te docuerint. Nihil (vt vides) excepit: nec vult negligenter attendi & haberi illorum doctrinam, præcepta, & iudicia: ſed valde ſollicite ac diligenter obſeruari, ne ea trãſgrediantur vel in minimo. Siue enim quæſtionis aut dubitationis ortæ de lege et religione, prolata fuerit ab eis definitio, ſiue ambigui iudicij prolata ſententia: iuxta legem, inquit, quam docuerint, & iuxta iudicium quod dicent tibi, facies. Non diſcedes a verbo quod dicent tibi, ad dextram aut ſiniſtram. Et hactenus quidem, vt ſummum in eccleſia tribunal, referre debeat formam ſacerdotalis concilij, quæ ſit eius ſingularis prærogatiua, quanti ab vniuerſa eccleſia eius facienda autoritas, quam indiſcuſſe, ſollicite, diſtricte ſequendas eius definitiones, ſententias, & iudicia. Nunc vnius ne, an plurium, & cuius in eo ipſo, vigere,

& regnare debeat autoritas, conſequenter exprimens, atque eius nobis formam & vnitatem ſub vnius præſidis ſingulari vnitate commendans: Qui autem ſuperbierit, inquit, nolens obedire imperio ſacerdotis, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.

Non iam plurium hic ſacerdotum, vt antea, atque adeo ſacerdotalis concilij, ſed vnius, nempe præſidis meminit: ad cuius autoritatem cenſeatur ea pertinere ſententia, illud iudicium: aduerſum quam omnem contumacem inobedientiam vult expiari mortis ſupplicio, vt cæteri timorem habeant. Non iam dicit ſuperbe contumaciterque inobedientem ſacerdotum, ſed ſacerdotis ſtantis ſuper alios, vt habet Hebraica veritas, aut (vt clarius explicant LXX.) ſacerdotis præſidis imperio, illum fore morti obnoxium. Ad vnum præſidem refertur ſacroſancta illa, quam audiſti; atque inuiolabilis autoritas, ad quam referre præcepit omnes, quæ legem aut religionem concernunt, quæſtiones et controuerſias, in quibus nihilominus ſacerdotalis concilij officium non ſubticuit: nempe, vt eorum ſtudio, inquiſitione et conſilio definirentur eiuſmodi; etiam ſuas ipſe

ipſe partes inter eos non tacens, ſed eccleſiæ (cuius vtilitati hæc ſeruiebant & ſeruiunt) de veritate definitionis & ſententiæ eorum, infallibilem, vt diximus, certitudinem faciens.

Hoc autem in dictis diuini ſpiritus verbis obſeruandum eſt, quod non loquatur de vniuerſali ſacerdotum concilio, neceſſario congregãdo ex vniuerſa eccleſia ob definitionem quæſtionum & controuerſiarum exorientium circa doctrinam religionis ac fidei, ſed de illo ipſo, quod velut ſenatus ſacri cuiuſdam loco, perpetuo aderat præſidi cathedræ: ſacerdotum, inquam, qui illi pro tempore vicis ſuæ aderãt in miniſterio tabernaculi fœderis, aut templi, quod in eius locum ſucceſſerat. Nam frequens hoc & pene quotidianum erat, vt quæſtiones inciderẽt, quas ad præſidentis autoritatem referri oportebat: atque eius vna & ſacerdotalis concilij terminari iudicio. Quibus vtiq;, certum, ordinarium, atq; omnibus ſemper paratum, & facile aditu velut tribunal quoddam conſtituendum fuerat, ſi modo diuinus ſpiritus recte prouiſum voluiſſet illi eccleſiæ. Cui ſane haud recte prouiſum, etiam craſſus quilibet nec admodum ingenioſus homũcio intelligeret, ſi

ad incidentes quotidie quæſtiones & cōtrouerſias iſtiuſmodi (quo ſatisfieret altercantibus & veritatem inquirentibus) ex vniuerſo Iſrael aut eccleſia, ſacerdotale concilium cōuocandum fuiſſet aut foret. Quandoquidem, vniuerſalis conuocatio eiuſmodi ſine maximo labore, impenſa, moleſtia, nec tunc poterat, neq; nunc poſſet fieri. Et grauiſſimum eſſet eccleſiæ, eum in modum quotidie moleſtari, & ſuis velut ſedibus cieri, propter quotidianas quæſtiones et controuerſias eiuſmodi: Nec vniuerſa vita ſua controuertentes, & veritatem cōtrouerſiarum ſuarum inquirentes, voti compotes poſſent fieri: nec ſcirent quorſum confugere deberent. Sed nec factam vnquam legimus (eam certe ob cauſam) in illa veteri eccleſia, conuocationem vniuerſalem: iſtiuſmodi æque & noſtræ eccleſiæ, ad magni Conſtantini vſq; tempora ignota extitit.

Hic, vt vnus omnino in vniuerſa ſcriptura locus eſt, qui de eccleſiaſticis concilijs proprie loquitur, ita eorundem vt audiſti formam, faciē, & autoritatem clariſſime nobis explicat: nec tacet, cuius in eis vigere & regnare debeat autoritas. Ad hunc locum, ſi Bucere quas tu nobis moliris & paras ſynodos expende-

penderis: intelliges opinor, quam aliena a re, quam fanatica proferas. Qui enim alij loci nonnulli ad eadem detorquentur per vos aut alios ex euangelio, de ijs prorſus nihil proprie loquuntur. Quale eſt illud præcipue. Vbicunque ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ: quod perpetuo vobis in ore eſt. Nam his verbis, nihil plane de eccleſiaſticis concilijs præſcribit Chriſtus: ſed pium Chriſtianę vnitatis conſenſum & communis fidelium ſuorũ orationis efficaciam nobis commendat. Quod ex his, quæ continuo præmiſit, eſt clariſſimum. Iterum, inquit, dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quãcunque petierint, fiet illis a patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Ante omnia vero, de congregatis loquitur in Chriſti nomine: in quo non congregantur, qui in Chriſti ouili non ſunt: qui eius paſtorem & rectorem quem ipſe conſtituit non agnoſcunt, ſed pluſquam hoſtiliter impugnant. Deinde non cõgregantur in Chriſti nomine, qui in hoc cõgregantur, vt alienũ ſibi vſurpent officiũ in eccleſia, etiam vt adhuc eſſent in eccleſia. Vtroque noĩe, illi q̃s aduerſarij ſomniant Dei filij, quibus autoritatem

ad incidentes quotidie quæſtiones & cõtrouerſias iſtiuſmodi (quo ſatisfieret altercantibus & veritatem inquirentibus) ex vniuerſo Iſrael aut eccleſia, ſacerdotale concilium cõuocandum fuiſſet aut foret. Quandoquidem, vniuerſalis conuocatio eiuſmodi ſine maximo labore, impenſa, moleſtia, nec tunc poterat, neq; nunc poſſet fieri. Et grauiſſimum eſſet eccleſiæ, eum in modum quotidie moleſtari, & ſuis velut ſedibus cieri, propter quotidianas quæſtiones et controuerſias eiuſmodi: Nec vniuerſa vita ſua controuertentes, & veritatem cõtrouerſiarum ſuarum inquirentes, voti compotes poſſent fieri: nec ſcirent quorſum confugere deberent. Sed nec factam vnquam legimus (eam certe ob cauſam) in illa veteri eccleſia, conuocationem vniuerſalem: iſtiuſmodi æque & noſtræ eccleſiæ, ad magni Conſtantini vſq; tempora ignota extitit.

Hic, vt vnus omnino in vniuerſa ſcriptura locus eſt, qui de eccleſiaſticis concilijs proprie loquitur, ita eorundem vt audiſti formam, faciẽ, & autoritatem clariſſime nobis explicat: nec tacet, cuius in eis vigere & regnare debeat autoritas. Ad hunc locum, ſi Bucere quas tu nobis moliris & paras ſynodos expende-

penderis: intelliges opinor, quam aliena a re, quam fanatica proferas. Qui enim alij loci nonnulli ad eadem detorquentur per vos aut alios ex euangelio, de ijs prorſus nihil proprie loquuntur. Quale eſt illud præcipue. Vbicunque ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ: quod perpetuo vobis in ore eſt. Nam his verbis, nihil plane de eccleſiaſticis concilijs præſcribit Chriſtus: ſed pium Chriſtianę vnitatis conſenſum & communis fidelium ſuorum orationis efficaciam nobis commendat. Quod ex his, quæ continuo præmiſit, eſt clariſſimum. Iterum, inquit, dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quãcunque petierint, fiet illis a patre meo qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Ante omnia vero, de congregatis loquitur in Chriſti nomine: in quo non congregantur, qui in Chriſti ouili non ſunt: qui eius paſtorem & rectorem quem ipſe conſtituit non agnoſcunt, ſed pluſquam hoſtiliter impugnant. Deinde non cõgregantur in Chriſti nomine, qui in hoc cõgregantur, vt alienũ ſibi vſurpent officiũ in eccleſia, etiam vt adhuc eſſent in eccleſia. Vtroque noĩe, illi quos aduerſarij ſomniant Dei filij, quibus autoritatem defini-

definiendi cõtrouerſias,quæ nunc in religione ſunt, aſſerunt,quos Dei filios ſolos conuenire volunt ad eam,quam imaginantur ſynodum:ſi modo (quod mihi nõ perſuadeo)imaginantur aliquam. Vtroqꝫ, inquam,nunc dicto nomine,quos illi conuenire vel lent,non conuenirent in Chriſti noïe, primum qm̃ ad Chriſti ouile non pertinent:deinde qm̃ cum Dathan & Abiron alienas ſibi in eccleſia Chriſti(etiam ſi in ea manerent)partes inuaderẽt. Nam ad quem & ad quos,ille voluerit exortas in ſua domo quæſtiones & controuerſias referri: cuius aut quorꝫ autoritate conſilioqꝫ definiri,& iudicio exorta diſſidia tolli,iam explicatum eſt. Aeque enim atqꝫ adeo magis illa diuini ſpiritus ordinatio(quam hac de re in ea veteris populi eccleſia,ab eo tam diligẽter & ſerio conſtitutam demonſtrauimus) ad noſtram eccleſiam pertinet. Niſi in eadem hac noſtra ornanda atque ordinanda negligentiorem, & in prouidendo eidem de neceſſarijs omnibus parciorem reſtrictioremqꝫ fuiſſe oïpotentem illã infinitamqꝫ ſapientiã (in quam,tam immenſæ charitatis ſuæ,præ illa veteri dona & pignora tam copioſe,tam liberaliter effudit) cuiq̃ poſſit eſſe credibile. Præſertim cum illorꝫ omnium,nobis quam illis veteribus lõge maiorem neceſſi-

neceſſitatem eſſe, plane indubitatum ſit. Nam ſiue noſtram eccleſiam, ex nullis non gentibus, linguis, nationibus, populis, in vniuerſum orbem diffuſis congregatam, ad illam veteris vnius cognatiq; populi eiſdem parentibus editi, vnius linguæ, eiſdem moribus inſtitutisq; ab initio aſſueti: ſiue vllam veterem legem diligentiſſime perſcriptam & ſcripto editam, atque eiſdem ſcripto promulgatam, ad noſtram legem euangelicam contulerimus, quæ ſine ſcripto viua tantum Chriſti & Apoſtolorum eius traditione, a tam multis, tam diuerſis, tam diſcrepantibus, æque linguis ac inſtitutis & moribus, atq; adeo ab infinita toto orbe diffuſa multitudine recepta eſt, nulli eſſe dubiũ poteſt, qn ſit neceſſariũ, plures grauioresq; quæſtiones & cõtrouerſias, religionis doctrinam concernẽtes oriri inter nos, quã inter illos veteres. Ad hæc, ſi Paulo Apoſtolo credimus, quæ diuinus ille ſpũs geſſit, ordinauit, conſtituitq; in illo veteri populo, magis propter nos q̃ propter illos ipſos facta ſunt. Eſſe præterea (ſecundum diuini ſpiritus & ſacrarũ ſcripturarum dialecticam) ab vmbra veteris illius tabernaculi ad ſuã ſoliditatem, a figura ad ſuam veritatẽ, eorũ quæ ſunt exhibita in noſtra eccleſia efficacẽ argumẽtationis locũ, velut a

 mino-

minore ad maius, haud vno loco & Paulus & vniuerſæ apoſtolicæ literæ cõprobant: quæ haud alijs q̃ veteribus & ſcripturis & figuris, noſtra comprobant. Quos in hoc imitantur vniuerſi illi primi noſtræ religionis duces, Apoſtolorꝝ auditores & diſcipuli.

Itaqꝫ ſi hunc, quem nunc explicauimus locũ, qui vnus in vniuerſa ſcriptura de eccleſiaſticis concilijs proprie, ſed copioſiſſime & clariſſime loquitur, & vniuerſam eorundem formam, faciem, & autoritatem nobis luculentiſſime & pleniſſime explicat, diligenter expenderis, clariſſime intelliges Chriſtiane lector, quæ, quantaqꝫ ſit et eſſe debeat Pontificis Maximi principalis cathedræ præſidis in eiſdem autoritas. Imo quod vniuerſa eorundem apud eundem reſideat autoritas. Id quod nobis in ſua eccleſia, ſingularitatem autoritatis præſidis ſuis fidelibus ſingularius cõmendans, adhuc clarius expreſſit Chriſtus. Ibi enim, inobliquabilis autoritatis priuilegiũ, diuinus ille ſpiritus, magis ad ſacerdotale cõcilium referre videtur: quamuis non niſi incluſo Pontifice Maximo, vt cathedræ, ita concilij præſide. Tametſi poſt, vniuerſam (quod ſupra annotauimus) concilij autoritatem, vni præſidi attribuat. Itaque de ſacerdo-

cerdo-

cerdotali illo concilio loquens, ad quod controuerſantes illi ſuas quæſtiones & controuerſias tandem referre iuſſi ſunt, & exquirentes, inquit, iudicabunt tibi iudicij aut rei quæſitæ veritatem. Quibus verbis inobliquabilem autoritatem illi concilio confirmat. Deinde ſubijciens, quam diſtricte eorum iudicio ac ſententiæ illos velit obſequi, & conſtituens in contumaciter inobedientem, mortis pœnam et ſupplicium: vniuerſam autoritatem ad vnũ ſummum ſacerdotem præſidem retulit. Qui aũt ſuperbierit, inquit, nolens obedire imperio ſacerdotis præſidis, morietur homo ille. At in eccleſia ſua diligentius & accuratius Chriſtus vniuerſa ad vnitatem referens, vni ſingulariter Petro vt eccleſiaſticæ Hierarchiæ principi, nulli vero alteri Apoſtolorũ omnium, ſed nec in commune omnibus quamuis præſentibus, nulli denicꝫ concilio, ſed vni, vt diximus, ouilis ſui paſtori & rectori, indefectibilis fidei priuilegium, ad confirmandos fratres in fide, ſua oratione a cœleſti patre impetrauit. Quemadmodum & ſupra indicauimus, & alibi copioſius luculentiuſque demonſtrauimus.

Quanquam, ſi quod hac in re ab initio in noſtra

eccleſia obſeruatum eſt, id ad formam, quam diuinus ſpiritus in explicato a nobis loco Deuteronomij expreſſit, diligenter contuleris, inuenies vmbrā cum ſua ſoliditate, figuram cum exhibita nobis ſua veritate concordare per omnia: niſi quod noſtræ eccleſiæ quam illius veteris, inſuper ſummi ſacerdotis ac Pontificis Maximi, aliquanto liberior hac in re ſit fueritq́; autoritas.

Nam, vt æque apud nos, quemadmodum apud illos veteres, decebat, relatas ad principalem cathedram & præſidis eius autoritatē, quæſtiones & controuerſias, quæ religionis & fidei doctrinam cōcernerent, nō definiri temere, ſed mature, adhibita pro qualitate negocij etiam humanitus poſſibili conuenientiq́; diligentia ſacerdotaliq́; concilio, ad formā illam quam apud veteres ex diuini ſpiritus præſcripto obſeruatam explicauimus: Ita apud nos factū perpetuo cernimus: niſi quod grauiorum apud nos incidentium quæſtionum & controuerſiarum pondus, maioris diligentiæ ijſdem definiendis & componendis neceſſitatem impoſuit principalis apud nos cathedræ præſidi. Veteribus illis in Moſaica cathedra (præter ordinarium illud concilium

ſacer

ſacerdotum vna cum præſide pro tempore vicis ſuæ in eadem ſeruientium domino) nullum aliud adhibitum relatis ad eandem quæſtionibus & controuerſijs definiendis, legitur. At apud nos, etiam illud ipſum (quod ſacri ſenatus cuiuſdam vice, ex Epiſcopis numero & titulo definitis, ex presbyteris, ac Leuitis Cardinalibus, quos nunc vocamus, in miniſterio vniuerſalis eccleſiæ adeſt præſidi cathedræ apoſtolicæ) adhibitum eſt perpetuo, in definiendis relatis ad ipſum queſtionibus omnibus. Sed incidentium, vt dixi, negociorum pondus, ad maiorem ſæpe diligentiam, eundem coegit & cogit confugere: vt etiam extra locum cathedræ apoſtolicæ agentes, aut vicinos, aut etiam diſtantiores Epiſcopos, pro negocij qualitate ad concilium conuocet. Quin & diſtantiſſimis regionibus ac locis (vbi & quando ipſi id expoſtulare viſa eſt rei neceſſitas) ſuper emergentibus quæſtionibus ſæpe coegit ſacerdotalia concilia; & aliquando vno eodemque tempore, & ſuper eadem quæſtione plura frequentiſſima, & locis a ſe diſtantiſſimis. Qualia Victor, ſimul quinque, ſuper vna quæſtione Paſchalis obſeruationis, celebrari curauit. Nõnunquam etiam ob res turbatiores aut potius turbatiſſimas, ad vniuer

ſalem conuocationem ſunt coacti deſcendere. Id quod tarde cœptum eſt in eccleſia, primum nempe magni illius Conſtantini inſtantia, qui primus vniuerſalis concilij incentor autorque extitit: ante quem trecentis & eo amplius annis, vniuerſalis eiuſmodi conuocationis vſus, plane fuit ignotus eccleſiæ. Sed horum omnium autoritatem & arbitrium eſſe penes principalis cathedræ apoſtolicæ præſidem, & totius eccleſiæ paſtorem, nec quicquam quod doctrinam fidei ac religionis concernat, in vllo quamuis frequentiſſimo concilio, abſq; eius autoritate definiri poſſe ac ſtatui, vt ex præmiſſis nulli eſſe dubium confido, ita in ſequētibus adhuc reddemus illuſtrius, atq; alibi a nobis etiam copioſius & accuratius demonſtratum eſt. Ad quæ, in ipſa euidenti veritatis luce omnibus conſpicua, ſi Bucerus ſua inexplicabilia, nec a ſemetipſo intellecta, nuda meraq; ſomnia de eccleſia, eius forma, & ſpecie, de autoritate igemonici eius paſtoris & apoſtolicæ cathedræ præſidis, deq; eccleſiaſticis ſynodis, ſerio contulerit: nimis impudens erit, ſi ſuijpſius ipſum non pudeat.

Sed quando ille tam impudenter nos mentiri affirmat,

firmat, qui hoc tribuimus et agnoſcimus Romano Pontifici, quod illi Chriſtus attribuit, illi recognouit vniuerſa ab initio Chriſti eccleſia, quod ipſa loquitur, ipſa clamat rei euidentia nulli nō perſpecta, qui ipſi non claudit oculos: hic adhuc magis inſtādum eſt, & quod diuinæ ſcripturæ clariſſima autoritate nunc demoſtrauimus, ipſa rei euidentia illuſtrandū, & totius ab initio eccleſię recognitione, orthodoxorumcꝫ omnium confeſſione, confirmandum eſt.

Exiſtimo imprimis, ſi hoc nunc demonſtrauerimus, ab ipſis mox incunabulis eccleſiæ, ab ipſis continuo Apoſtolorum temporibus, hoc in ea vniuerſa velut ex apoſtolica traditione recognitum obſeruatumcꝫ fuiſſe, vt Epiſcoporꝝ vltimata iudicia, maioreſcꝫ omnes cauſæ eccleſiaſticæ, ſpecialiter reſeruatæ haberentur autoritati cathedræ inter nos principalis & apoſtolicæ, dubitaturum neminem, quin ex Chriſti inſtitutione, quamuis per apoſtolorum eius traditionem ac miniſterium, hoc ipſum acceperint eccleſiæ. In quo tamen dēmonſtrādo, minus nobis laborandum foret, ſi maiori cura ac diligentia perſcriptas haberemus res eccleſiaſticas: p̄ſertim illius primitiuæ eccleſiæ, & commendatas poſteris.

Vt

Vtcunq; tamen hoc ipſum conabimur ex illa quan ſicunque paupertate ſcriptorum, quæ ex ſæculo illo ad nos peruenerunt.

Inter quos occurrit,imprimis teſtis ſane irrefragabilis beatiſſimus Anacletus (B.Petri diſcipulus, ab eodem quoq; ordinatus presbyter,et tandē in cathedra apoſtolica et in martyrij gloria ſucceſſor)in epiſtola,quam, velut catholicæ eccleſiæ Epiſcopus, ſcribit vniuerſæ Chriſti eccleſiæ.In qua, ſacerdotalis Epiſcopaliſq; dignitatis,vt vi externæ perſequutorum atq; infidelium eo tempore perpetuo expoſitæ,reuerentiam & honorē Chriſtifidelibus omnibus ingerens,& ſingulariter commendans, aduerſus internas inſidias, & calumnioſas oppreſſiones, eidē velut aſylum autoritatē apoſtolicæ ſedis propoſuit,ad quā omnibus appellare liceat. Si, inquit, difficiliores ortæ fuerint quæſtiones, aut Epiſcoporum vel maiorum iudicia, aut maiores cauſæ fuerint:ad ſedem apoſtolicam ſi appellatum fuerit,deferantur.Quoniam Apoſtoli hoc ſtatuerunt iuſſione ſaluatoris,vt maiores et difficiles quæſtiões ſemper ad ſedem deferantur apoſtolicam, ſuper quam Chriſtus vniuerſam ſtruxit eccleſiam; dicente ipſo

ad

ad B. principem apoſtolorum Petrum: Tu es Petrus,& ſuper hãc petram ædificabo eccleſiam. Hæc ille apoſtolorum diſcipulus, ex apoſtolica, cui præſidebat, cathedra, de apoſtolorum traditione atque ordinatione ex iuſſu ſaluatoris noſtri, eo tempore, cum adhuc ſupereſſent quidam ex apoſtolis, vniuerſæ prædicat Chriſti eccleſiæ. De cuius epiſtolæ fide, nihil eſt quod nunc quiſquam dubitet, quando cõſtat Iſidori ſęculo, eodem hoc ipſum teſtificante, hoc eſt, ante annos mille iam tum lectã ab omni memoria hominum, pro germana Anacleti epiſtola,& recognitam ab vniuerſa Chriſti eccleſia. Ne ipſam epiſtolam, ob ſtili ſimplicitatem, quem illis pene omnibus familiarem fuiſſe conſtat, contemnendam exiſtimes.

Eiuſdem apoſtolicæ ſedis prærogatiuæ æque idoneus teſtis Euariſtus eſt, qui Anacleto ſuccedẽs in cathedra, in epiſtola ad Aegyptiorũ Epiſcopos, velut tranſgreſſores apoſtolorum & eccleſiaſticorum canonum, eoſdem arguit, quod ſine ſpeciali eius ſedis autoritate præſumpſiſſent, velut tumultuãter iudicare, & gradu ſuo amouere Epiſcopos, & in eorundem locum ſubſtituere alios: eiſdem præ-

cipiens, vt eiectis his, quos illis ſuper ordinauerant, priores ſuis ſedibus reſtituant. Quod ſi, inquit, aduerſus eos aliquam querelam habueritis, poſt reſtitutionem de ea canonice inquirendum erit: & huius ſanctæ ſedis autoritate, ea terminanda.

Quin & in altera epiſtola ad vniuerſos Aphricanæ regionis Epiſcopos, commendat eoſdem, quod ſuborta in fide ac religione dubia, iuxta patrum & Apoſtolorum regulas retulerint ad iudicium ac definitionem ſedis apoſtolicæ. Conſulentibus, inquit, vobis fratres chariſſimi, quid ſuper his, quæ in veſtris continebantur ſcriptis, nobis viſum eſſet, aut quid docibilis ratio perſuaderet, quidve a beatis Apoſtolis nobis traditum & cuſtoditũ maneret, optantes (vt retuliſtis) noſtris inſtrui documentis, dilectio veſtra normam patrum ſecuta, ad ſedem apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubijs cuſtodire, potius quã vſurpatione propria præſumere. Hæc ille Euariſtus, qui ſub Traiano præſedit Chriſti eccleſiæ, quo tempore adhuc beatiſſimus Ioannes Apoſtolus ſupererat. Ex cuius epiſtolis clariſſime conſtat, & quod etiam illo tempore Epiſcoporum vltimata iu-

ta iu

ta iudicia pertinerent ad autoritatem ſedis apoſtolicæ;& quod omnes circa fidem & religionem ſub ortæ quæſtiones,dubia, & controuerſiæ, iuxta patrum nimirum Apoſtolorum normã, canones,& regulam referri debebãt ad eiuſdem ſedis iudiciũ: atq; adeo referrerentur vltra vaſta terrarum, mariumq; interiacentia ſpacia. Nam Aphricanæ regionis ex vrbe Roma ille ſcribebat Epiſcopus.

Idem clariſſime cõſtat ex B. Alexandri teſtimonio,q Euariſto ſuccedens,et ipſe ſub Traiano Chri ſti eccleſiæ præfuit. Qui in epiſtola quam ſcribit or thodoxis omnibus, per diuerſas prouincias dño fa mulantibus,eccleſiaſticæ Hierarchiæ vigorem,formã & vnitatem vniuerſis commẽdat: & principa lis cathedræ ſingularem autoritatem & prærogati uam,quã accepit a Chriſto,eiſdem ingerit: quo eccleſiaſticæ rationis vnitatem, quæ inde pendet,tena cius conſeruent. Illius ſedis autoritati,ſummarũ diſpoſitiones cauſarum, & eccleſiarum omnium gra uiora negocia,a domino commiſſa affirmans, ipſo dicẽte principi Apoſtolorum Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam.

Idem agens Sixtus ille primus (qui continuo

poſt Alexandrum ſub Hadriano Chriſti eccleſiæ præfuit) in epiſtola ad totius orbis Epiſcopos, & turbas, ſeditiões & calumnioſas oppreſſiones quærens excludere ab eccleſià, oſtendit eiſdem ad hoc ordinatam autoritatem ſedis apoſtolicæ a Chriſto atq; eius apoſtolis. Ab hac enim, inquit, ſancta ſede, a ſanctis apoſtolis tueri, defendi, & liberari Epiſcopi iuſſi ſunt: vt ſicut eorum diſpoſitione, ordinante domino primitus ſunt conſtituti, ita huius ſanctæ ſedis (cuius diſpoſitioni eorum cauſas et iudicia ſeruauerunt) protectione, ab omnibus ſemper peruerſitatibus & calumnijs ſint liberi. Hæc ille Sixtus.

Anicetus item ille, ſub quo B. Polycarpus Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus Romã venit, eidẽ poſt conſors factus glorioſi martyrij, q̃ vterque ſub Vero et Cõmodo cõſummatus eſt: ad Gallicanas eccleſias ſcribens, et inter cætera exigens, vt diligenter obſeruẽt ordinẽ, formãq; diſciplinæ eccleſiaſticæ, quẽ interturbari inter eaſdẽ quorũdam Epiſcopoꝝ ſuperbia intellexerat. Si quis, inquit, Metropolitanoꝝ inflatus fuerit, & ſine omnium comprouincialium Epiſcoporum præſentia, vel conſilio eorum, aut alias cauſas, niſi eas tantum, quæ ad propriam ſuam paro-

parochiam pertinent,agere, aut eos grauare voluerit,ab omnibus diſtricte corrigatẽ, ne talia deinceps præſumere audeat.Sin vero incorrigibilis, eisq; inobediens fuerit,ad hanc apoſtolicam ſedem(cui omnia Epiſcopoꝝ iudicia terminare præceptũ eſt) eius contumacia referatur, vt vindicta de eo ſumatur,& cæteri timorem habeant.Si aũt propter nimiam longinquitatem,aut temporis incommoditatẽ, aut itineris aſperitatem,graue ad hanc ſedẽ eius cauſam deferre fuerit, tunc ad eius primatem cauſa deferatur,& penes ipſum huius ſanctæ ſedis autoritate iudicetur. Hæc Anicetus ille.

Eleutherius quoq;, qui ſub M. Anthonio præfuit Chriſti eccleſię,ad eaſdẽ Gallicanas eccleſias ſcribens: De accuſationibus, inquit, clericorum,ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad ſedem apoſtolicã deferre, finitiua tantum Epiſcopoꝝ iudicia huc deferantur, & huius ſanctæ ſedis autoritate finiãtur,ſicut ab Apoſtolis,eorumq; ſucceſſoribus, multorum conſenſu Epiſcopoꝝ iam definitum eſt. Nec in eorum eccleſijs alij,aut præponantur, aut ordinentur, anteq̃ hic eorum iuſte terminentur negocia. Quoniam q̃uis

 liceat

liceat apud prouinciales & Metropolitanos, atque primates eorum ventilare accuſationes vel criminationes, non tamen licet definire ſecus, quam prædictum eſt. Hactenus Eleutherius.

Victor aũt huius proximus ſucceſſor (& ipſe glorioſus Chriſti martyrio) Theophilum Alexandrinũ, & cum eo Aegyptiorũ Epiſcopos, grauiter arguit, quod ſibi temere præſumpſiſſent, q̃ ad ſolã apoſtolicæ ſedis autoritatẽ pertinẽt. Quæ eius redargutio, quo maius pondus haberet, ipſum etiã canonem eccleſiaſticum in ſua epiſtola ſubijcit, quem, ab Apoſtolis cõſtitutum, & obſeruatum deinceps cõtinuo affirmat. Vnde, inquit, ſtatutũ liquet a tẽpore Apoſtolorũ, & obſeruatum deinceps. Placuit, vt accuſatus vel iudicatus a cõprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopus, licenter appellet, & adeat apoſtolicæ ſedis Pontificem, qui aut per ſe, aut per vicarios ſuos eius retractari negociũ procuret. Et dũ iterato iudicio Pontifex illius cauſam tractat, nullus alius in eius locum ponatur aut ordinetur Epiſcopus. Quoniam, quanq̃ comprouincialibus Epiſcopis accuſati cauſam Epiſcopi ſcrutari liceat, nõ tamen abſolute definire inconſulto Romano Pontifice per-

miſſum eſt, cum vni B. Petro nō ab alio, quā ab ipſo dictum ſit domino: Quæcunq; ligaueris ſuper terram, ligata erunt in cœlis, &c. Quare, inquit, nihil aliud eſt fratres, talis veſtra præſumptio, quam Apoſtolorum ſucceſſorumq; ipſorū terminos tranſgredi, eorumq; decreta violare. Hæc ille Victor.

Eadem pene ad verbum Sixtus ſecundus, glorioſus martyr Chriſti et Pontifex, qui beatiſſimum Laurentium diaconum & martyrij conſortem habuit, fidentiſſime prædicat: atque iterum iterumque repetit, tum in epiſtola ad Hiſpaniarum Epiſcopos, tum etiam in epiſtola ad Gratum Epiſcopum. In qua inculcans, vt omnibus Epiſcopis, ſi quibuſcunque appetantur aut opprimantur calumnijs, & quoties opus habuerint, libere appellare poſſint ad iudicium ſedis apoſtolicæ, atque ad eam quaſi ad matrem confugere. Cuius, inquit, diſpoſitioni, omnes maiores cauſas eccleſiaſticas, & Epiſcoporum iudicia, antiqua Apoſtolorum ſucceſſorumque eorundem, atque canonum autoritas reſeruauit: Subiungens illum, quem Victor citauit, eccleſiaſticum atque adeo apoſtolicum canonem.

Zepherinus itē Pontifex ad Siciliæ Epiſcopos, docens quomodo peragenda ab ipſis eſſent Epiſcoporum iudicia. Finis vero, inquit, eius cauſæ, ad ſedem apoſtolicam deferatur, vt ibidem terminetur, nec ante finiatur (ſicut ab Apoſtolis & ſucceſſorib⁹ eorum olim ſtatutum eſt) quam eius autoritate fulciatur, &c. Iudicia em̄ Epiſcopoꝝ, maioresq́ ecclesiæ cauſæ, a ſede apoſtolica, non ab alia (ſicut Apoſtoli, & ſancti ſucceſſores eorū ſtatuerunt) ſunt terminandæ. Quia licet & in alios Epiſcopos transferatur iudicandi autoritas, vni tamen Petro inter omnes Apoſtolos dictum eſt: Quæcunq́ alligaueris in terra, erunt ligata & in cœlis, &c. Hactenus ille.

Marcellus quoq́ Pontifex, & ipſe glorioſus martyrio, ad vniuerſos per Antiochenam prouinciam Epiſcopos, vigorem diſciplinæ eccleſiaſticæ, & Hierarchiæ ordinem (vnde totius eccleſiæ vnitas & ſalus pendet) cōmendans. Ab eius, inquit, diſpoſitiōe deuiare nō oportet, ad quā cuncta maiora negocia, diuina diſponente gratia, iuſſa ſunt referri: vt ab ea regulariter diſpōnantur, &c. ad quam oēs, quaſi ad caput, iuxta Apoſtoloꝝ eorumq́ ſucceſſorum ſanctiones, Epiſcopi, qui voluerint, vel quibus neceſſe fuerit, confugere, eamq́ appellare debent, &c. Quia

Epiſ-

Epiſcoporum iudicia,& ſummæ cauſarum nego cia,cunctaq; dubia,apoſtolicæ ſedis autoritate per agenda ac finienda ſunt. Et omnia prouincialia negocia, huius ſanctæ & apoſtolicæ ſedis ſunt retractanda iudicio, ſi huius eccleſiæ Pontifex præceperit. Hæc Marcellus ille.

Melchiades etiam ad Marinum, Benedictum, Leontium,cæteroſq; Hiſpaniarum Epiſcopos, inter cætera habet in hæc verba.Epiſcopos,inquit,nolite iudicare,nolite condemnare abſque huius ſedis autoritate. Quod ſi contra feceritis, irrita erunt veſtra iudicia,& vos condemnabimini.Hoc enim priuilegium huic ſanctæ ſedi a temporibus Apoſtolorum ſtatutum eſt ſeruare: quod illæſum in hodiernum vſq; diem permanet.Hæc ille.

Audis Chriſtiane lector, audis & tu Bucere, in his tam multis,tam ſanctis, & tantæ autoritatis patribus, ab ipſo eccleſiæ initio in cathedra apoſtolica continua pene ſerie ſibi ſuccedẽtibus, ad ipſum vſque Nicenum concilium, illius primitiuæ eccleſiæ recognitionem & cõmunem ſententiã de ea, quam hic adſtruimus,autoritate ſedis apoſtolicæ,vt ꝑ ma

nus ab ipſis peruenit ad nos. Nec puto (qualiſcunque in nos ſis & huius ſæculi Pontifices) quod illos tales, tam ſanctos, tantæ in eccleſia autoritatis, tantæ antiquitatis, & qui pene vniuerſi pro Chriſti eccleſia glorioſo martyrio coronati ſunt, mentitos iſta dicturus ſis, & confinxiſſe de ſuo capite: dum tam, vt audiſti, conſonanter, tam longo & continuo temporis ſucceſſu, præteritorum ante ſe temporum inuiolabiliter obſeruatam in eccleſia cõſuetudinem, & apoſtolicos canones in conſpectu totius eccleſiæ cõmemorant. Nunquid, quo ſuã ſuper alios efferrent potentiã & ſtabilirent tyrannidem? Exiſtimo ſane, neminem mẽtis ſanæ de iſtis ſentire aliter, quã quod officij ſui memores, & ſe ſuper eccleſiæ ſpeculã conſtitutos a dño, Chriſtiani gregis vigilantes excubias egerint, eccleſiaſticæq; diſciplinæ & Hierarchiæ vigorem & vnitatẽ (in qua omnis eccleſiæ ſalutẽ conſiſtere certum eſt) diligenter conſeruare ſtuduerunt. Nam quod ſua non quæſierint, ſed quæ Ieſu Chriſti, ſatis opinor, ſanguine ſuo pro eo effuſo conteſtatũ nobis reliquerũt. Et vt maxime voluiſſent in cuiuſcunq; gratiam aliquid mẽtiri aut fingere, nullus ſane hac in re fictioni eſſe locus potuit, aut mendacio: Quando ignorare non poterat orbis, quod aut

tunc

tunc aut temporibus ab ipſo eccleſiæ initio, a quo non ita longe diſtabant, præcedentibus, toto orbe obſeruatum fuerit, videlicet: An ita habuerit rei veritas, quod grauiora illa eccleſiaſticarū rerum negocia & Epiſcoporū iudicia referri conſueuerint ad apoſtolicę ſedis iudicium. Nec adeo tunc ignoti eſſe potuerunt Apoſtolorū canones, quos illi proferebāt & inculcabant (vt quibus ſolis tunc gubernabatur eccleſia) poſt ipſa continuo Apoſtolorū tempora. Sed nihil opus eſt, aut hac aut alia quacūq; pro illis excuſatione vti, ſi cum illorū adeo conſono teſtimonio coniungas, quæ præmiſimus cętera: quæ ipſam rei euidentiam, & totius eccleſiæ ab initio recognitionē clariſſime ſubijciunt oculis. Tametſi horum teſtimonium eccleſiæ, quæ Nicenum conciliū præceſſit ab ipſo ſui initio, formam proprie nobis demonſtret. De ſequentibus ipſum tēporibus loquentibus fere cæteris, quæ ſupra adduximus.

Quia tamen, ad Nicenum concilium prouocare audent aduerſarij, prętendentes nunc demonſtratis a nobis aduerſari eius canones (quos parum diligenter inquiſiſſe ſe mox manifeſtum erit) hoc nunc accuratius a nobis demonſtrandum eſt, eoſdem

non aduerſari ſed plane ſubſcribere, demonſtratis a nobis hactenus: & obliterari iam, aut certe negligẽtius frigidiuſq́ obſeruari incipiẽtes, antiquos illos, apoſtolicos eccleſiaſticosq́ canones, pro conſeruando ordine ac vigore eccleſiaſticæ Hierarchiæ, renouaſſe. Et inter cæteros illum, quẽ toties citatum audiſti de Epiſcoporum iudicijs. Quẽadmodum euidenter conſtat ex Iulij primi ad Antiochenã illã, cuius ſupra meminimus, impiã ſynodũ, plæriſq́ epiſtolis. Nam fecit (quod mox intelliges) Arriana illa fax, vniuerſum pene Orientem, atq́ adeo orbem terrarũ conflagrans, continuo poſt celebratum Nicenũ conciliũ, vt ex illorũ temporũ ſcriptoribus ſparſim citatos Nicenos colligere & velut emendicare cogamur. Quãdo eius cõcilij iã multis ſęculis nuſq̃ extant acta germana atq́ integra. Scribit aũt ille Iulius epiſtola prima ad illos Antiochiæ congregatos Epiſcopos, in hæc verba. *Audite, inquit, iam factam in Nicena ciuitate ſynodum: cui & ego ipſe conſcientiæ meæ cultum decenter exhibui, quæ nihil aliud voluit, quam concordiam omnibus fabricare, & præ cunctis arguere ac remouere hanc inſidiantium improbitatem. Quorum præuidentes ſancti patres inſidias & calumnias, vnanimiter in*

prædicta ſtatuerunt ſynodo, vt nullus Epiſcopus, niſi in legittima ſynodo, & ſuo tempore apoſtolica autoritate conuocata, ſuper quibuſuis criminibus accuſatus aut pulſatus damnetur aut iudicetur: Sin aliter à quibuſuis præſumptum fuerit, in vanum deducatur quod egerint: nec eccleſiaſtica vllo modo reputabuntur iudicia eiuſmodi. Ipſi enim primæ ſedis eccleſiæ, conuocandarum generalium ſynodorum iura & iudicia Epiſcoporum ſingulari priuilegio euangelicis & apoſtolicis atq; canonicis ſunt inſtitutis conceſſa. Quia ſemper maiores in eccleſia cauſæ ad apoſtolicam ſedem multis autoritatibus referri præcepta ſunt, &c.

Et rurſus in eadem epiſtola. Dudum ſiquidem, a ſanctis Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus in antiquis decretis ſtatutum fuerat (quę hactenus ſancta & vniuerſalis tenuit & tenet eccleſia) non oportere præter ſententiam Romani Pontificis concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari: quoniam ſanctam Romanam eccleſiam, primatem omnium eccleſiarum eſſe voluerunt: Et ſicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit Apoſtolorum omnium, ita & hæc eccleſia ſuo nomine conſecrata, dño inſtituēte, prima

& caput ſit cæterarum, vt ad eam quaſi ad matrem & apicem omnium, maiores eccleſiæ cauſæ, & iudicia Epiſcoporum iuxta eius ſententiam ſumant. Hactenus ille.

Audis autem quid dicat ille Iulius: quos apoſtolicos, antiquos, & obſeruatos ab initio canones proferat: quem etiam Niceni concilij canonem citet: vt videlicet nullus Epiſcopus etiam in quacũq; ſynodo, niſi apoſtolicæ ſedis autoritate conuocata, ſuper quibuſuis intentatis criminibus iudicetur aut condemnetur.

Quod ſi hic mihi quiſq̃ occurrat, apud Ruffinũ nõ inueniri prædictũ canonem inter eos, quos ipſe enarrat Niceni concilij: Reſpõdebo ego, vni Iulio, q̃ decem Ruffinis, vt in omnibus, ita hac maxime in re, plus eſſe autoritatis & fidei. Nam vt cætera prætercam vniuerſa, cum Iulius ille viginti tantum annis poſt celebratum Nicenum conciliũ, dictam epiſtolam ſcriberet aduerſus totius pene Orientis Epiſcopos (qui cõtra Athanaſiũ & alios Nicenæ fidei zelatores, quam occultis machinationibus impugnabant, cõuenerunt apud Antiochiam: quorum plæriq; Niceno concilio ipſi interfuerant) quis credet illum prædictum, quẽ citat, canonẽ Niceni con-

cilij,de ſuo capite auſum confingere. Sed nec Oriẽ tales & Græci illi,quamuis ſatis cõtumaciter reſpõdentes Iulio,verbo vllo in dubium reuocarunt fidẽ illius canonis. Ad hæc,ſi ad euentum ſpectes(quem ſupra explicauimus)illius Tragœdiæ,certo intelliges,non territaſſe illos Iulium,fumis & mendacijs, ſed ipſa euidẽti rei veritate cõuiciſſe: qa coacti ſunt eius autoritati cedere , eius ſe iudicio ſubmittere. Quod iudiciũ orbis vniuerſus,tanq̃ eius q̃d in cœlo ratũ firmumq; eſſe non dubitaret,abſq; vlla hęſitatione ſequutus eſt. Quam aũt Ruffinus parꝫ integre,aut ex fide enarret Nicenos canones, ex eo perſpicuum eſt, quod cũ ex iuratiſſimis teſtibus,q ipſi non interfuerunt ſolũ, ſed præfuerunt etiã condendis eiſdem,cõſtat LXX.illos fuiſſe,quibus vniuerſa pene diſciplina publica eccleſiæ,ordinata regulataq; fuerat,ipſe tñ non niſi XX.enumerat, frigidosq; plane,et ad quiduis inefficaces, quando per ſe legũtur atq; æſtimantur. Qua tñ in re,non tam Ruffini negligentiam,quã Arrianorum accuſo perfidiam. Quorꝫ impietate ac fraude, adiuta impij Imperatoris Cõſtantij potentia ac tyrannide,eſt effectũ,vt de canonibus ac ſtatutis Nicenis dubitaretur cõtinuo poſt celebratũ ipſum Nicenum concilium: exuſtis

vide-

videlicet per vniuerſas Græcanicas & Orientis ecclesias eius authenticis exemplaribus: adeo vt ſolū illud, quod tum adhuc Romæ ſeruabatur, reſtaret integrum. Quod ipſum iamdudū iratis nobis ſuperis etiam periȷt et eccleſię Chriſti ſubtractum eſt: ſeu dolo & fraude hæreticorū, ſeu per hoſtiles barbaricoſque incurſus, quos deinceps haud infrequētes vrbs Roma paſſa eſt.

Quæ vt vera eſſe intelligas, audi imprimis quid ad Marcum Pon. B. Silueſtri in cathedra apoſtolica ſucceſſorem, ſcribat hac de re glorioſus ille Chriſti confeſſor Athanaſius Alexandrinus Pontifex, cum vniuerſis Aegypti ſub ſe exiſtentibus orthodoxis Epiſcopis, idq; ex Alexandrina prouinciali ſynodo: in quam, ad tutādum ſuos aduerſus Arrianam perfidiam congregati, cum viderent apud neminem reſtare acta Niceni conciliȷ, Romam vſque pro recuperādis eiſdem mittere coacti ſunt: In hæc verba ſcribentes ad Marcum Pontificem.

Ad vos, inquiunt, perueniſſe non dubitamus, quanta & qualia ab hæreticis, et maxime ab Arrianis patiamur quotidie, &c. In tantum enim noſtra vaſtarunt, vt nec veſtimenta eccleſiaſtica nobis dimit-

mitterent,& libros quoq; noſtros ad minimum in cendentes,nec iota vnum nobis reliquerunt: Nicenam ſynodum propter veritatis fidem (qua clerus et populus imbuebantur & maxima parte iam imbuti erant) in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorum, incenderunt. Quapropter precamur pater beatiſſ.quia non dubitamus, apud vos plenaria eſſe Niceni concilij exemplaria,vt nobis illa,quæ ſanctæ recordatiõis prædeceſſoris veſtri Silueſtri fuerunt, ſub tua mittatis ſtipulatione. Nam quãdo p̃dictæ ſynodo,cũ beatæ memoriæ Alexandro,digno Deo Pontifice noſtro,id eſt,Alexãdrinę magnæ ciuitatis Epiſcopo, in diaconatus interfuimus officio, ſub noſtræ præſentiæ teſtimonio per beatos viros Victorem & Vincentium presbyteros apoſtolicæ ſedis apocryſarios miſſa ſunt prædicto Papæ Silueſt. cũ adſtipulatiõe ſubnixa, LXX. capitula,&c.Quæ omnem Chriſtianorum orbem in vnitate fidei confirmarẽt:& omnes ſub ſacerdotali & Chriſtiano nomine degentes,vna fides, vna ſacerdotalis & clericalis norma regeret:nec quiſq̃ a ſuo capite diſſideret.Nũc ergo, quoniam ab inimicis ſanctæ Dei eccleſiæ,præfata LXX.Niceni concilij capitula (quæ iubente domino meo Aleãdro,

decreto Epiſcoporum omnium attuli, quæ etiã coram omnibus recitaui & trãſſcripſi) apud nos ſunt igne cõbuſta: optamus, vt a veſtræ ſanctæ ſedis eccleſiæ autoritate, quæ eſt mater et caput eccleſiarum omnium, ea ad correctionem & recitationẽ fidelium orthodoxorum, percipere per præſentes legatos mereamur, &c. Hactenus illi.

Quibus in hæc verba reſcribit Marcus: Dominis venerabilibus fratribus Athanaſio, & vniuerſis Aegyptiorum Epiſcopis, Marcus ſanctę Romanæ apoſtolicæque ſedis & vniuerſalis eccleſiæ Epiſcopus. (Poſt alia plæraque, quibus eoſdem ad conſtãtiam exhortatus eſt.) De capitulorum, inquit, numero Niceni concilij, quibus vos interfuiſſe literis fraternitatis veſtræ ſignificaſtis, a noſtris qui vna vobiſcum interfuerunt diligentioribus requiſiuimus collationibus: qui ita vt veſtræ teſtatæ ſunt literæ, omnem nobis ordinem expoſuerunt: & veſtram epiſtolam veram eſſe per omnia teſtificati ſunt, &c. Deinde diligenter perquirentes in ſancto noſtræ & apoſtolicæ ſedis ſcrinio, ea quæ ſanctæ memoriæ prædeceſſori meo Silueſtro ſunt directa, LXX. vt ſignificatis capitula, illæſa inuenimus.

mus. Ipſa autem vobis propter autoritatem & ſub ſcriptionem tantorum patrum & eius magni concilij, minime miſimus: Sed per eadem coram apocryſarijs veſtris alia ſimilia, eundem numerum, eademq; verba & ipſam ſubſcriptionem continentia, vobis reſcribere, & ſub certa ſtipulatione & confirmatiõe mittere curauimus, &c. Hæc ille Marcus.

Audis itaq; non XX. tm̃, quot Ruffinus memorat, ſed LXX. canones Niceni concilij, quibus vniuerſa diſciplina eccleſiaſtica ordinata regulataq; fuerat. Idq; a teſtibus iuratiſſimis ac plane irrefragabilibus.

Quin & Iulius ille, in ſecunda ſua aduerſus Antiochenam illam (cuius paulo ante meminimus) ſynodum epiſtola, poſt grauiter inſectatas congregatorꝝ in eadẽ in viros innocentes & ſanctos iniquas machinationes & calumnias: Tales, inquit, inſidiatores ſpũ præuenientes ſancti patres in Nicena cõgregati, leges ſtatuerunt, quas nos canones appellamus, ne facile probi dãnarentur aut circũuenirentur ab improbis. Ex quibus ſubiungit ille XXIIII. quorꝝ oĩm illos tranſgreſſores arguit. Quẽ vero canonem pro XVIII. citat, quoniam euidenter confirmat ac renouat illum, quẽ ſupra toties, tantorum

Pontificum teſtimonio audiſtis eccleſiaſticum apo ſtolicumq́ canonem, hic adſcribere viſum eſt. Habet autem in hæc verba.

Placuit vt omnes Epiſcopi, qui in quibuſdã grauioribus pulſantur vel criminantur cauſis, quoties neceſſe fuerit, libere apoſtolicam ſedem appellent, atque ad eam quaſi ad matrem confugiant: vt ab ea ſicut ſemper fuit, pie fulciantur, defendantur, ac liberentur. Cuius diſpoſitioni, omnes maiores eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia, antiqua Apoſtolorum, eorumq́ ſucceſſorum, atque canonum autoritas reſeruauit. Hactenus verba XVIII. Niceni canonis. Ad quem modũ citat XXIIII. ex quibus ſingularis huius ſedis euidenter comprobatur autoritas, eoſque in totius orbis conſpectu illis ipſis, qui Niceno concilio interfuere, confidẽter obijcit. Quorꝫ tamẽ nullus omnino apud Ruffinum legitur. Prouocat autem de fide illorum canonum ad exemplar authenticum, de quo ſupra Marcus, quod Nicena cum ſubſcriptione patrum omniũ miſſum in ſcrinijs apoſtolicæ ſedis aſſeruabatur.

Ita quoq́ in B. Liberij ſucceſſoris Iulij epiſtola ad præfatum Athanaſiũ & ſecũ Alexandriæ cõgre

gatos

gatos Epiſcopos,eſt legere prolixum canonem Niceni cōcilij,quo poſt Neſtorius ſuam tuebatur pertinaciam. Cuius tamen Ruffinus prorſus non meminit.

Rurſus B. Innocentius, inter regulas diſciplinæ eccleſiaſticæ ad Victorinum Rothomagenſem Epiſcopum cap.III. Si quæ autem, inquit, cauſæ vel contentiones inter clericos vel inter laicos,tam ſuperioris gradus quam inferioris exortæ fuerint, placuit,vt ſecundum ſynodum Nicenam congregatis omnibus eiuſdem prouinciæ Epiſcopis terminentur. Nec alicui liceat(ſine tamen præiudicio Romanæ eccleſiæ,cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri) relictis his ſacerdotibus,qui in eadē prouincia Dei nutu eccleſias gubernant,ad alias conuolare prouincias aut aliarum prouinciarum prius Epiſcoporum experiri iudicium. Quod ſi quis forte præſumpſerit:& ab officio cleri ſummotus,& iniuriarum reus ab omnibus iudicetur.Si autem maiores cauſæ fuerint in medium deuolutæ:ad ſedē apoſtolicam(ſicut Nicena ſynodus ſtatuit,& ſancta conſuetudo exegit)poſt iudicium Epiſcopale referantur.Hactenus ille.

Audis itaq; etiā hoc teſte,Niceni concilij canoni

 bus

bus conſtitutum, & antiqua conſuetudine obtentum (quæ ab ipſis Apoſtolorum canonibus atque inſtitutione, vt ſupra audiſtis, originem habuit) vt maiores omnes cauſæ ad ſedis apoſtolicæ autoritatem ſpecialiter pertinerēt, vtq; eius in omnibus cauſis & iudicijs ſit excepta autoritas, ad quam omnes licet confugere. At horum nullū apud Ruffinum verbum eſt. Aeque nec eius, cuius beatiſſi. Leo ad Theodoſium iuniorem de Epheſina illa ſecunda ſynodo meminit. Cuius enarrans plæraq; impie geſta autore Dioſcoro in oppreſſionem orthodoxæ veritatis, & aduerſus appellationem pro inique damnatis interpoſitam, petentibus retractari ſynodalem ſententiam autoritate ſedis apoſtolicæ: Quam autem, inquit, poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, canonum Nicenæ habitorum decreta teſtantur, quæ a totius mundi ſacerdotibus ſunt conſtituta. Hæc ille Leo.

Tu autem profer, quiſquis es, qui non alios canones Nicenos, quam qui apud Ruffinum leguntur, fuiſſe contendis: profer, inquam, ex illis vllum verbum, quod de retractandis Epiſcoporum ſynodalibus, eiſque frequentiſſimis & vniuerſalibus

bus iudicijs poſt appellationem interpoſitam loquatur.

Ad hæc, certum eſt, non tantum ob Arrij nouitatem, ſed etiam ob diſcordiam, quæ erat in die Paſchalis celebrationis, motum fuiſſe Conſtantinum principem, vt curaret celebrandum Nicenum concilium. Certum denique, in eodem editum Paſchalem canonem, quem Theophilus Alexandrinus Epiſcopus citat, quo decretum extitit, vt ab VIII. Idus Martij, vſque ad diem Nonarum Aprilis, diebus videlicet XXVIII. qualiſcunque Luna nata fuerit medio ſpacio, menſis primi initium faceret. Quartam decimam autem, a XII. Calend. Aprilis vſque ad XVIII. Calend. Maij ſolerter inquiri debere. Et ſi die ſabbatorum inciderit, conſequenti die dominico, id eſt, Luna XV. celebrandum fore. Et ſi die dominico XIIII. eiuſdem menſis primi euenerit, ipſa hebdomada tranſmiſſa, in alterum diem dominicum celebrari Paſcha debere. At nec huius decreti vllum apud Ruffinum verbum eſt.

Vt aũt reuertamur ad illum canonem tã apoſtolicum, quam Niceni concilij, de Epiſcopoꝝ iudicijs & ma-

& maioribus cauſis eccleſiaſticis ſpecialiter reſeruatis apoſtolicæ ſedis autoritati & iudicio: iterum audi de eo ipſo, quod teſtimonium ferat ille ſtrenuiſſimus orthodoxæ veritatis aſſertor Athanaſius, cũ vniuerſis Aegypti, Libye, & Thebaidis orthodoxis Epiſcopis, in hæc verba inter cætera ſcribens ad Felicem Pon. ex Alexandria: Vbi conuenerant aduerſus Arrianorum quam patiebantur perſequutionẽ & calũnias: vt a quibus ſub ſynodali prætextu ſuis paſſim pellebantur ſedibus, obtentu commenticiorum, quæ in illos confingebant, criminum, implorantes aduerſus eoſdem apoſtolicæ ſedis auxilium. Quia ſemper, inquiunt, anteceſſores noſtri & nos a veſtra apoſtolica ſancta ſede auxiliũ hauſimus, &c. atq; eandem iuxta canonum decreta vt ſummam expetimus: ad eam quaſi ad matrem recurrimus, & cætera. Ob id enim vos, prædeceſſoresq; veſtros, apoſtolicos videlicet prçſules, in ſummitatis arce cõſtituit dñs, omniumq; eccleſiarum curam habere præcepit, vt nobis ſuccurrentes noſq; tuentes liberare ab hoſtibus noſtris non negligatis. Nam ſcimus in Nicena magna ſynodo CCCXVIII. Epiſcoporum, ab omnibus cõcorditer eſſe roboratum, non deberi abſque Romani Pon. ſententia concilia cele-

celebrari, nec Epiſcopos damnari,&c. Vos ergo, vt ſemper ſanctæ ſedi veſtræ conſuetudo fuit, periclitantibus ſubuenite, oppreſſos roborate, taliaq; prohibete, et leges imponite, vt apoſtolica doctrina, quę in vobis eſt, cito ad victoriam iudicium perducere valeat noſtrum, noſq;, Apoſtolorũ ſuffragante principe Petro, ab imminẽtibus periculis liberare. Eius ſiquidẽ cathedræ hæreditario quodam perpetuoq; iure cõſtabilita a Chriſto vniuerſa affirmantes, quæ ad eccleſiaſtici regiminis principalem autoritatem pertinent. Illam imprimis ligandi & ſoluendi in vniuerſa domo eccleſiaſtica: Eandem ipſam, conſtitutam lucidiſſimam formam Chriſtianæ religionis & fidei: Eius præſidem Romanũ Pontificẽ, confitentur autoritate & officio eſſe Petrum, ita teſtante diuino eloquio: Tu es, inquiunt (ſicut veraciter diuinum teſtatur eloqum) Petrus. Tibi claues regni cœlorũ cõmiſit, & ligandi ſoluendiq; ſuper alios poteſtatem. Item: Tu profanarum hæreſeon, & imperitorum atque infeſtantium omnium depoſitor, vt princeps & caput omnium, doctorq; orthodoxæ doctrinæ & inculpatæ fidei exiſtis, &c.

Igitur, inquiunt, ne deſpicias pater tuorum pa-

trum pietatem, ſed ſicut illi patres, prædeceſſoresq́ noſtros a multis oppreſſionibus & anguſtijs liberarunt: ita & nos liberare digneris. Nã ſemper fuit veſtræ apoſtolicę ſedi ea poteſtas, iniuſte damnatos autoritate ſua reſtituere, & ſua eis omnia reddere: illosque, qui eos condemnauerunt, apoſtolico punire priuilegio: ſicut etiam noſtris & anterioribus actum cognouimus temporibus, &c. Neq́ enim fas eſt apoſtolicæ ſedi, ſupplicum ſcripto, aut ſine ſcripto oblatas preces deſpicere, ſed vt condecet, & priuilegium veſtræ ſedis eſt, & nos, & illi aduerſarij noſtri regulariter conuocemur: & ante vos de noſtris obiectionibus cum omni probitate concertemus: ſicut prædeceſſores noſtri penes veſtros fecerunt anteceſſores, & ſicut canonicę in prædicta ſancta ſynodo docent inſtituta, &c. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid, quamuis in remotis & longe poſitis prouincijs, ſuper Epiſcoporum querelis & accuſationibus ageretur, non prius ratum foret, quam ad noticiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet pronũciatio prolata, quæ id ipſum firmaret aut infirmaret, &c. ne paſſim ab accuſatoribus, aut calumniatoribus, colũnę conuellerentur eccleſiæ. Nunc vero Dei eccleſia nõ leuiter perturbatur, columnæque

que eius nimis infeſtantur, quas hoĩes praui amouere nituntur: orthodoxorum vero voces, & gemitus Epiſcoporũ, longe lateq́ꝫ inſonant, nouitates inſurgunt, calumniæ creſcunt, perſecutio graſſatur, & perditio fit populorꝫ. Veſtrum itaq́ꝫ eſt, nobis manum porrigere, quia vobis cõmiſſi ſumus. Veſtrũ eſt nos defendere & liberare, noſtrumq́ꝫ eſt a vobis auxilium expetere, & veſtris iuſſionibus parere, &c. Et tandem concludentes epiſtolam.

Vos ergo, inquiunt, qui in ſumma ſpecula gratia Dei poſiti eſtis, oramus, vt minime deſpiciatis hũilitatis noſtræ, & oĩm Oriẽtalium orthodoxorꝫ ſacerdotum & populorꝫ afflictiones, et deprecationes cũ lachrymis oblatas: ſed ſicut luminaria, vniuerſo mũdo verbum vitæ retinentes, introductas extinguere tenebras nefandiſſimorꝫ inſidiatorꝫ, temporibus noſtris procaciter germinatas, q̃tenus funditus extincta huiuſmodi caligine, Lucifer nobis reſplẽdeat per vos ſanctiſſ. pater, & dogmatica definitio oẽs lętificans, quã glorioſi eccleſię ſancti patres in æternæ vitæ firmã hæreditatẽ docuiſſe & prædicaſſe noſcuntur, &c. Hæc illi. Tu perpẽde, qui, quales, & quãti, nõ Romani, ſed vltramarini, Alexandrinus, inq̃, ſedis ſecundæ Pontifex, neque is qualiſcunque, ſed

ſanctus ille, vereq; admirabilis & glorioſus Chriſti confeſſor Athanaſius: cuius eruditio & doctrina ſingularis: cuius fides, tot exilijs, tot perſecutionibus probata enituit: neq; is vnus, ſed vniuerſi vna Aegypti, Tebaidis, & Lybiæ orhodoxi Epiſcopi: in q̄bus, ſi non mētiatur Chriſtus etiam duobus aut tribus in nomine ſuo cōgregatis intereſſe ſe medium, nunquid dubitamus, viguiſſe illum Chriſti ſpiritum: tam multis, tā ſanctis, tot perſecutionibus pro Chriſti nomine, & fidei eius confeſſione, tanquam aurum in igne probatiſſimis, & in hoc vnum congregatis & conuenientibus, vt orthodoxam fidem ſecundum officium ſuum aduerſus Arrianam tuerentur perfidiam? Nunquid hos alia prædicaſſe de autoritate ſedis apoſtolicæ, quam ipſa habebat rei veritas, quam ipſa tenebat catholica & orthodoxa per orbem eccleſia, cuiquam eſſe poteſt ſuſpicio? præſertim ſi hæc, & ad ea, quæ audiſti, vniuerſa, & quæ auditurus es, cōferas, q̄bus conſentiāt per oīa.

Audiſti aūt, hi quam non obſcure, quam nō dubie, ſed velut omnibus notoriam, vniuerſoq; orbi confeſſam, agnoſcāt eccleſiæ Hierarchiæ p̄ſidis, atq; eius ſedis autoritatem, & quale ſupra adſtruximus, ſingulare priuilegium; vt ſupplices ad eandem recurrant

currant tanquam ad ſacrum verticem, & ad caput Hierarchiæ eccleſiaſticæ, inde auxilium expetẽtes, vnde fatentur ſuos prædeceſſores, & ordinationes, & dogmata, & ſubleuationes accepiſſe. Vt confiteantur & conſtantiſſime confirment eccleſiaſticos canones, omnes maiores eccleſiaſticas cauſas huius ſedis diſcuſſioni ac iudicio reſeruaſſe. Vt propterea in ſummitatis arce cõſtitutos a domino Romanos Pontifices, omnium illis eccleſiarũ cura demandata, vt per præſidentis vnitatem & ſingularẽ autoritatem pax & vnitas Chriſtiana conſeruaretur in eccleſia: ne qui opprimerentur iniuſte: ne eccleſiarum paſtores aduerſum ſeſe tumultuarentur, & tot fierent ſchiſmata in eccleſia, quot ſacerdotes ſunt: ne ille ſacer ordo confunderetur eccleſiæ. Vtque ea ſemper ab initio huic ſedi conſuetudo fuerit, ſubuenire periclitantibus, releuare oppreſſos, iniuſte damnatos reſtituere, iniquos iudices etiã qualeſcunq; punire, leges præſcribere, per quas malorũ cohiberetur improbitas, & triumpharet doctrina apoſtolica. Vt nunquam licuerit appellationẽ, ſeu verbo ſeu ſcripto ad hanc ſedem interpoſitam, contemnere, vt eius iuris ac priuilegij ſit, & fuerit, quoſuis inter ſe concertantes, e toto orbe terrarum, etiã

vltramarinis partibus,etiam primarum ſedium antiſtites coram ſe euocare, vtq; ſic euocati (quemadmodum tenebantur) ita etiam comparere conſueuerint, & ſuas aduerſum ſe querelas coram eiuſdẽ ſedis tribunali canonice proſequi,& inde ſuum reportare iudicium. Sicut, inquiunt, prædeceſſores noſtri penes veſtros fecerunt anteceſſores. Audiſti præterea,vt ante mille ducentos annos teſtati ſint illi,tot,tantiq; Pontifices,non tunc nuper, & a recenti eorum memoria,ſed ab antiquis temporibus,antiquis regulis, ſancitũ fuiſſe in eccleſia, vt quicquid, quamuis in remotis longinquiſq; prouincijs ſuper quorumlibet Epiſcoporum querelis ageretur, non ante firmitatem et robur obtineret, quam ad huius ſedis eſſet relatum noticiam,atq; eius firmatum aut infirmatum iudicio: quod etiam in cœlis ratum haberi ipſe nobis Chriſtus confirmauit.

His conſonam nunc audi totius Aphricanæ eccleſiæ confeſſionem, ex B. Stephani Archiepiſcopi in concilio Mauritaniæ præſidentis,& trium conciliorum Aphricanæ prouinciæ,ex communi decreto ad B.Damaſum ſcripta epiſtola,in hæc verba.

Beatiſſimo domino,& apoſtolico culmine ſublimato, ſancto patri patrum, & ſummo omnium

præſulum Pontifici Damaſo, Stephanus Archiepiſcopus cum concilio Mauritaniæ, & vniuerſis Epiſcopis, de tribus conciliјs Aphricanæ prouinciæ.

Notum facimus veſtræ beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis poſiti, quoſdam fratres noſtros, venerabiles videlicet Epiſcopos, vobis inconſultis a proprio deјciunt gradu, & adhuc deјcere moliuntur: Cum veſtræ ſedi, Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem eccleſiaſticorum negociorum, in honorē beatiſſimi Petri, patrum decreta omnium cunctam reſeruauere ſententiā, quæ merito omni cura & ſollicitudine obſeruare debemus. Maxime enim debent illa ab ipſo præſulum examinari vertice apoſtolico, cuius vetuſta & ſollicitudo & cōſuetudo eſt, tam mala damnare, quam probare probanda. Antiquis enim regulis ſancitū eſt, vt quecquid horum, quamuis in remotis & longinquo poſitis ageretur prouincјs, non prius tenēdum aut accipiendum ſit, quam ad noticiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum: vt eius autoritate, quicquid fuiſſet pronunciatum, id firmum haberetur, &c. Itaq; prædictis illicito præſumptis, vt ſemper veſtræ ſedis conſuetudo fuit, feſtinanter occurrite, & pro veritate paterniſque canonibus viriliter

cer-

certãtes,his reſiſtite, &c. Et Deus creator omnium longæuum conſeruet apoſtolatum veſtrum ad ſtabilitatem eccleſiarum ſanctarum, & orthodoxæ fidei:voſq; paſtorem bonum,qui pro ſpiritalibus ouibus ponitis animam, atq; baculo paſtorali lupos rapaces expellitis, & omnibus oppreſſis auxilium fertis.Quod & iſtis & omnibus ſemper vos facere optamus ſanctiſſime Papa.Hactenus illi,quibus in hæc verba reſcripſit ille Damaſus.

Damaſus ſeruus ſeruorum Dei,atq; per gratiam eius Epiſcopus ſanctæ catholicæ eccleſiæ, & vrbis Romæ, Stephano Archiepiſcopo præſidẽti in concilio Mauritaniæ,& vniuerſis Aphricanæ prouinciæ Epiſcopis.Lectis fraternitatis veſtræ literis, primo gratias ago, quod tantorum patrum merear benedictione perfrui : deinde quod circa fratres ſollicitos vos reperi,& cum eis crucem domini deferre,&c.Igitur quãdo in præſenti oportune geſtorum conſultatione,apoſtolicis veſtra beatitudo viſceribus commota nos hortata eſt tuitionem fratribus apoſtolica impendere autoritate, & eorum iniurijs ſubuenire, dum conſtet eadem cum Apoſtolo compaſſibiliter dicere : Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?&c.

ror:&c. Pro qua re oportet iuxta veſtram pruden-
tem commonitionem, magis autem ſecundum di-
uinam præceptionem, nos qui ſupra domum eius,
hoc eſt, catholicam eccleſiam, Epiſcopale ſuſcepi-
mus miniſterium, ſollicite vigilare, ne quid de ſa-
cris eius muneribus, id eſt, apoſtolicis viris, Apoſto
lorumque ſucceſſoribus & miniſtris, quiſquam no-
bis inconſultis damnetur. Scitis fratres chariſſimi
firmamentum a Deo fixum & immobile, atque ti-
tulum lucidiſſimum ſuorum ſacerdotum, id eſt, Epi-
ſcoporum om̄ium, apoſtolicam ſedem eſſe conſtitutã,
& verticem eccleſiarum, ſicut diuinum verbum vera
citer pronunciat, dicens: Tu es Petrus, & ſuper hoc
firmamentum tuum eccleſiæ columnæ, qui Epiſco
pi intelliguntur, confirmatæ ſunt. Et tibi claues re-
gni cœlorum commiſi, &c. Cuius vice hodie, gra-
tia Dei, pro Chriſto fungimur, & omnes huius ſan
ctæ ſedis præſules eius vicem geſſerunt, gerunt, &
geſturi ſunt. Itaque omnia, quæ innotuiſtis, illicita eſ-
ſe ipſi non dubitatis. Diſcutere namque Epiſcopos,
& ſummorum eccleſiaſticorum negociorum cau-
ſas, Metropolitanis vna cũ om̄ibus ſuis cõprouincia-
libus licet, ſed definire eccleſiaſticarum ſummas quere
las cauſarum, vel damnare Epiſcopos, abſque huius

ſedis autoritate minime licet. Quam oẽs appellare, ſi neceſſe fuerit, & eius fulciri priuilegio oportet. Nã,vt noſtis,ſynodũ abſq; eius autoritate fieri non eſt catholicum. Nec vlla concilia rata leguntur,quę non ſunt fulta apoſtolica autoritate. Hactenus Damaſus. Ex quibus omnibus ſatis ſuperq; demonſtratum exiſtimo,non adulterinum, nõ ſubditiciũ, ſed verum,germanumq; fuiſſe illum Niceni concilij canonem,quem de Epiſcoporum cauſis et appellationibus ad apoſtolicã ſedem deferendis,in ſexto Carthagineñ.cõcilio Fauſtinus,Philippus,& Aſellius apoſtolicæ ſedis legati,ex literis & commonitorio B. Zozimi Pontificis recitarunt in hæc verba. Ita, inquit, dixerunt dilectiſſimi fratres in concilio Niceno,cum de Epiſcoporum appellatione decernerent.Placuit autem,vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit,& eum iudicauerint congregati Epiſcopi regionis illius, & de gradu ſuo deiecerint eum, & appellaſſe Epiſcopus inueniatur, & confugerit ad beatiſſimum Romanum Epiſcopum,et voluerit audiri, & iuſtum putauerit ille, vt renouetur, ſcribere his Epiſcopis dignabitur, q in finitima & propinqua prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omnia inquirant, & iuxta fidem veritatis definiant.Quod ſi is,qui rogat cau-

gat cauſam ſuam iterum audiri, deprecatione ſuã mouerit Epiſcopum Romanũ, vt e latere ſuo preſbyterum mittat,erit in poteſtate Romani Epiſcopi,quid velit,& quid exiſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe,qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes poteſtatem eius, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. Si vero crediderit ſufficere Epiſcopos, vt negocio terminum imponant, faciat, quod ſapientiſſimo concilio ſuo iudicauerit. Hactenus verba canonis, quem aduerſus Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum,illius concilij caput,& cũ eodam congregatos Epiſcopos (quos vna ſecum ad hoc inclinauerat, vt abolere cuperent ac niterentur obſeruatam eatenus conſuetudinem de referendis Epiſcoporum iudicijs ad examen iudiciumque ſedis apoſtolicæ) tanquam ex autoritate Niceni concilij,pro eiuſdem ſedis autoritate ex literis B. Zozimi Pon. proferebant ijdem eius legati.

Quanq̃ autem illi non ſolum grauem eſſe transmarinis & tam longe poſitis prouincijs, morem illum referendorum iudicioꝝ Epiſcopaliũ ad iudicium et examen ſedis apoſtolicæ,ſed etiã tẽdere eũdem ipſum in diſſolutionẽ vigoris diſciplinæ eccleſiaſticæ ꝑtenderent (cũ ſæpe retractaretur compro

uincialium Epiſcoporum & iudicum ſententia: abſolutis,reſtitutiſq; a ſede apoſtolica, q̃s illi damnauerant) & ob id nequaq̃ acquieſcerent teſtimonio Ro.Pontificis,velut in re propria: autoritatẽ tñ Niceni,quæ eis obijciebatur, concilij non audentes contemnere, negabant canonem illum haberi in his, quæ apud eos extabant, Niceni concilij exemplaribus. Super quibus, ea occaſione, ingens mota eſt quæſtio & controuerſia:non ſatisfaciente illis fide Romani exemplaris Nicenorum actorum, ſed Alexandriam, Antiochiam, imo & Conſtantinopolim vſq; miſerunt,inde petitum eorundem actorum exemplaria. A quibus,ſimilia ſuis, æque truncata,æque imperfecta receperunt, nihil dignum tanto concilio continentia,nihil,inquam, præter mutila illa XX. quæ apud Ruffinum leguntur,decreta: frigida ſane, ſi per ſe conſiderentur, & pro eccleſiaſticæ totius diſciplinæ conſtitutione atque ordinatione plane inefficacia. Quam tamen vniuerſam diligentiſſime ordinatam,conſtitutamque in illo concilio, tantorum patrum autoritate atque irrefragabili teſtimonio ſupra demonſtrauimus.

Certe niſi improbe impudenterq; mentitos dixeris tot,tantoſq;,quos audiſtis,patres et Pontifices

ſan-

ſanctiſſimos, dubitari omnino nō poteſt, alia fuiſſe decreta illius concilij. Sed nec illud dubiū eſſe poterit, ſi eorum tempor perpēdas hiſtoriam, Romæ ſeruata fuiſſe veriora integrioraq; exemplaria actorum Nicenæ ſynodi, quam in illis Orientis eccleſijs, quas iam annis plurimis vaſtauerat ille aper de ſylua, illa fera ſingularis, illi, inquam, Nicenæ fidei perſecutores Arriani hæretici. Qui, quod ſupra demonſtrauimus, abolentes incendio quacunq; extabant authentica eius ſynodi exemplaria, hoc effecerunt, vt continuo poſt Nicenum concilium dubitaretur de actis, & canonibus eiuſdem. His adde, quod & Theophilus Alexandrinus, & Alexander Antiochenus, & Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopi, ad quos illi miſerant petitum Nicena exemplaria, eodem illo tempore ob impiam ſuam coniurationem aduerſus B. Ioannē Chryſoſtomum, quem inique oppreſſum calumnijs ſuis ſede ſua Conſtantinopolitana eiecerant, excommunicationi ſubiecti erant a ſede apoſtolica. Nihil ergo mirum eſt, adulterata quoq; ab eiſdē recepiſſe ſe acta Nicena, apud quos nihil erat ſyncerum & integrum. Quemadmodum & quintam ſynodum adulteratam, corruptamq; ab hæreticis Conſtantinopolitanis & An-

tiochenis aliquot Epiſcopis, apoſtolicæ ſedis legati in ſexta ſynodo cōuicere. Et nos idem preſſam eandem ſextam, inſuper & ſeptimam ſynodos, in plæriſq;, vt nunc paſſim circumferuntur, in Diatribe noſtra, atq; alibi, accuratius demōſtrauimus. Quod ipſum actis Nicenis factum minus admirabitur, quiſquis conſiderauerit, quam pertinaciter, & q̄diu Oriens pene vniuerſus aduerſus ea ipſa repugnauerit, conſpirauerit, & coniurauerit.

Quod ſi exactius, certiusq; intelligere velis illius Aurelij & conſentientiū ſecū Epiſcopo℞ conatus, quibus apoſtolicæ ſedi debitū illud obediētiæ iugū nitebantur excutere, num ex Deo fuerint, iuxta Gamalielis illius ſapientiſſimū conſiliū, ſubſequentium tēpo℞ expēde hiſtoriā. Si eñ, inq̄t ille, ex hoībus eſt conſilium & opus hoc, diſſoluetur. Sin ex Deo, non poteſtis diſſoluere, ne quādo & Deo repugnare videamur.

AD CHRISTIANVM, PIVMque Lectorem.

HIc locus merito nos homines admonet humanitatis. Quandoquidem ſatis idoneus teſtis eſt ad calamitoſam humanæ vitæ ſortē ob oculos nobis reuocandā: idq; tanto vehementius fieri par eſt,

quanto

quanto maior ille fuit,qui mortis immaturæ violẽtia oppreſſus, calamum hic manũq; ſiſtere cõpellebatur.Is eſt D.Albertus Pighius Campeñ. idemq; Præpoſitus D.Ioannis Traiectẽn.qui quum vitam oẽm,eamq; cœlibẽ,in æqui boniq; cognitione contriuiſſet,cumque mirificis humanæ vitæ laboribus eſſet defunctus,ad extremum incredibi quadam animi puæſentia, Deo patri ſpiritum emiſit ad IIII. Calend.Ianuarias circa ingreſſum anni poſt Chriſtum natum M.D.XLIII. Quare non eſt,o humane Lector,quod amplius deſyderes a D. Pighio felicis memoriæ, qui lubenter ſane Bucero ſingulatim reſpondiſſet ad vniuerſa eius maledicta, ſi per valetudinem vllatenus id fieri licuiſſet. Nam ad extremum vſque vitæ ſuæ diem in hæc ſcribendo deſudauit. Idcirco,quum modis omnibus vir tantus Reipub. iuuandæ & eccleſiæ Chriſti illuſtrandæ ſemper ſtuduerit, æquum eſt, vt poſteritas omnis pio Pighio quam optime precetur,et pro tam eximijs ipſius monumentis non ingratum ſe prorſus oſtendat.

FINIS.

Bonorum operum glorioſus eſt fructus.